CELSISSIMO PRINCIPI,
ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO Dō
D. CONSTANTINO
FELICIANO
In SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DUCI SEVERIÆ,
DOMINO, PROTECTORI,
Ac
BENEFACTORI AMPLISSIMO.

NOWALSKI.S.A



Acuis manibus Viatori coram TE CELSISSIME PRINCEPS comparere piaculum putavi. Cum eo, quem ex longinqua Regione deportaveram THESAVRO

sisto. Hunc à multis annis in terra aliena animadversum, toties relicto Patrio Solo, quæsieram; vix jam ad ultimum comparavi; Quem ut æstimatissimum ad publicum Sarmatici Orbis ærarium reddo. Quærant alij alia, quibus ditescant, & Orbem cumulent, talenta & sui valorem ad libram humani judicij exponant; Ego non aliam Fortunam nisi hanc unicam in THESAVRO hoc unanimis Regularis Observantiæ Benedictinæ, novavi pretiosissimam Vnionem, quæ apud exteros, sed ejusdem Patris Filios cum Vita Religiosæ Doctrinæque disciplina vigilantissimè custoditur. Sed quia Solis Divis Sacra hæc Gemma, Maximo offerri debebatur Sacerdoti, ne plus in profanos usus dissipetur. Cæpit jam pretium ejus cum temporum injuria vilescere, quæ olim in sui æstimatione excesserat hujus sæculi valorem, dum in Vniversalis Ecclesiæ

guber-

gubernatione admirabilis, in particularium Ecclesiarum dispositione sollicita, in Gentium conversione infatigabilis, in Hæresum extirpatione invicta, in Academiarum Erectione utilis, in Propagatione Cultus Divini pia. Et quæ cunctis in disciplinari vel maximè illustratione dives fuerat, nunc autem in sui pretio, paulo minus minorata. De primæva ejus æstimatione à Capite Româ petere judicium necesse erat. Singularem ad THESAVRVM *hunc addidit Vnionem & licet per* BREVE *maximum, tamen revocavit valorem, & ut in tuto quiescat, pro excubijs leges, & Vigiles adhibuit Præsides. Sed hoc præsidium ne amplius impugnetur gratis, & à nocivis sit libera fulminibus, sub* TVAM *Protectionem tanquam sub Laurum reponimus. Scimus Fortunam Regnî à* TE *tueri & ex Gemmeis Sudoribus Regno parem prodijsse Vnionem.*

Quid

Quidni in Ordine Benedictino *eadem nata non excrescat? speramus; cujus ad Ecclesiam propagandam Zelum admiramur, Cujus Labores, Fortunas, Vitam ipsam conferre libentissimè conspicimus; & Nobis Opem navare non dedignaberis supplicamus. Accedet huic* THESAVRO *pretium dum Gemmæ Præsulum, Gemmæ Sarmaticæ tot amplis Virtutum* TVARVM *Opibus, imò Thesauro* THESAVRVM *hunc Nostrum submittimus. Cum quo digneris suscipere* CELSISSIME PRINCEPS *simul & nos Congregatos, qua cæpisti, benevolentia & beneficentia amplectere. Quidquid enim in Nepotes Tanti Patris contuleris, Ipse* PARENS *in magno pretio reponet, &* TE *Benedictionum Suarum gratijs cumulabit. Nos verò tantis beneficijs* DEO TER *Optimo Maximo, fideli semper Devotione ac perpetuis precibus*

TV-


TVAM *incolumitatem quàm longissimam & felicissimam commendabimus, & cum eis Ego ultimus meritò, sed non ultimus sincera veneratione, qui non ut Author Operis, sed ut æstimator &* CELSITVDINIS VESTRÆ

Humillimus Cliens

CHRISTINUS MIRECKI

ABBAS Sanctæ CRUCIS.

App-



APPROBATIO CENSORIS.

ANimadverſiones hæ in Regulam S. Benedicti, qui juxta atteſtatum Divi Gregorij Gratia Benedictus ac nomine, omnium juſtorum Spiritu plenus fuit, utiliter in lucẽ prodeũt.

Aug: Vind: 1727. 9. Iulij.

FRANC. JOSEPH de Handl. SS. Th. Licent. Reverendiſſimi & Sereniſſimi Principis & Epiſcopi Aug. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Librorum Cenſor, nec non Inſignis Eccleſiæ ad Sanctum Mauricium, Canonicus & Parochus.

REIMPRIMATUR.

M. MARTINUS WALESZYNSKI S.Th D.&P.Collegij Majoris SENIOR PATER, CANONICUS Cathedralis Cracovienſis, Premycovienſis & Montis S. GEORGIJ in Scepuſio PRÆPOSITUS, Studij Generalis Univerſitatis Cracovienſis PROCANCELLARIUS, Librorum per Diœceſim Cracovienſem Ordinarius CENSOR.

Datum Cracoviæ in Collegio Majori 12. Calendas Iunij Annô Dominî 1731.



PRÆFATIO

Latini Interpretis ad Lectorem.

SCripſerat Libellum iſtum Author idiomate Germanico, eô inductus motivô, ut tantò major omnibus in noſtra Germania ſub Regula Divi Patris Benedicti militantibus obveniret utilitas, quò plurium manibûs (cõverſorum præcipuè ac Moniali͂u) tractaretur. Et tantus certè fructus conſecutus eſt, ut intentioni Pijſſimi Authoris abundè ſatisfactum ſit, adeò, ut tribûs omninò vicibûs libellus hic publicam lucem viderit. Aliud me juſſit voluntas Superiorum, quibus me oportet in omnibus morem gerere; ut ſcilicet Tractatum iſtum è Germanica Lingua transferrem in Latinam. Neque vanam aut frivolam dices hanc operam, Lector benevole, ſi rationem ac motivum inſpexeris. Quòd ſi enim Libellus hic ob ſuam præſtantiam, totiúsque diſciplinæ Monaſticæ medullam, quam continet, tantos in exigua noſtra Germania fructus protulit, majorem certè bonorum fructuũ

copiam progerminabit, ſi per Linguam Latinam, quæ omnibus communis eſt nationibus, in bonum totius Chriſtiani Orbis ceſſerit. *Bona* ſiquidem, *quantò magis communia, tantò magis divina* ſunt, teſte Nierembergio dictam. Polit. decade 2. & eò major uniuscujusque boni præſtantia, quò plurium deſervit emolumento. Hanc igitur operam ſanè fideliter præſtiti, & per totum decurſum ipſius Authoris mentē, imò & verba, ut potui, ſemper retinui, veritus, ne genuino ſpiritui, qui in toto tractatu eluceſcit, adulterinum aliquem proprij ingenij fucū inſpergerem. De cætero omnibūsvotis divinam precor clementiam, ut Spiritum S. Patriarchæ noſtri Benedicti taliter in nobis renovare dignetur, quatenùs verum Regulæ ipſius ſenſum non modò ſpeculativè capere, ſed & per veram ſpiritualem vitam opere demonſtrare valeamus. Cōſecravimus nos ſiquidē divino ſervitio ſecundùm Regulam S. Benedicti, ad hujus igitur normā vivamus, oportet, ne olim in tremēdo judicio, in quo ſecundùm eandē Regulam judicabimur, cauſa noſtra cōclamata ſit.

Tibi nunc relictum eſt, Lector Benedictine, an tuis Libellum hunc uſibus impendere velis, an non: dummodò in omnibus glorificetur DEUS.

§. I.

§ 1. *præliminaris.*

Compendium Vitæ S. Patriarchæ BENEDICTI.

S. Benedictus, & Soror ejus Scholastica gemelli una die ab eadem Matre nobili Genere Nursiæ nati sunt Annô Christi 480. Mater, cui Abundantia nomen, vitam in partu emisit. Benedictus septimô ætatis suæ annô Romam directus est, studijs ibidem operam impensurus, ubi septem circiter annos magnâ transegit innocentiâ. Posthæc singulari Spiritûs sancti actus impulsu Româ clam relictâ in solitudinem Sublacum dictam recessit; quò dum pergeret, incidit in ipsum S. Romanus, qui cognitô Benedicti sanctô propositô, illud approbavit, religiosô eum habitu donavit, omne possibile auxilium spopondit, imò & fideliter præstitit, necessariam ipsi sustentationem tribûs annîs subministrans. Postquam Benedictus in extrema paupertate, vitæq; rigore tres annos in angusto spelæo degisset, à Venerabili quodam sacerdote DEI monitu ipsô sanctô Paschatis die invisus est, ac post sacra colloquia cibô, potuque refectus, paulò post etiam à Pastoribus inter virgulta sedens repertus

 est,

est, atque ita rumor sanctitatis ejus in viciniam se diffudit: hinc ab eo tempore multi ad ipsum ventitabant, necessarium ei victum deferentes, quos salutari doctrinâ multùm ædificatos à se dimisit.

In loco isto Benedictus gravem carnis tentationem generosè triumphavit, dum se in spinis & tribulis tamdiù volutavit, quoadusquè sangvine totus perfunderetur, ac diabolica cessaret illusio: quapropter totâ vitâ suâ nullam ampliùs impuram tentationem passus est.

Trigesimum annum cum attigisset, vicini eum Monachi difficulter exorârunt, ut ipsis præesse vellet. Cùm autem dissolutam eorum vitam tolerare nollet, venenô eum è medio tollere cogitârunt. Agnovit hoc Benedictus in spiritu, sanctâque cruce poculum signavit, quod illicò confractum est, ipseque dilectam suam solitudinem iteratò repetijt. Veniebant autem ad eum multi, subijcientes se disciplinæ ipsius, unde intrà novem annorum spatium duodecim monasteria construxit, ubi magna prodigia intervenerunt, quæ Sanctus & Magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius describit, hic loci autem brevitatis gratiâ non recensentur.

In ea solitudine cùm ad triginta quinque annos mansisset, graves una cum discipulis suis persecutiones sustinuit à Floren-

tio quodam, cumq; adverteret, hæc omnia in unam tantùm personam collimare, annô Christi quingentesimô vigesimô nonô, ætatis autē suæ quadragesimô nonô inde in Montem Cassinum migravit, in comitatu duorum Angelorum, viam ipsi mōstrantium. Dum autē adhuc in itinere constitutus esset, DEUS Florentium subitaneâ morte mulctavit, quem tamen multîs lachrymîs S. Pater prosecutus est.

Mox ut ad dictum montem pervenit, Idoli Apollinis statuam comminuit, altare ejus destruxit, illiusque loco in honorem sancti Præcursoris Christi Joannis, & Sancti Martini Episcopi oratoria duo erexit, ac celeberrimum Cassinense Monasterium ædificavit. Super hoc diabolus visibili formâ erga Virum sanctum cum rabie conquestus est, non Benedictum sed maledictum eum compellans, magna etiam Sancto Patri, ejusque fratribus gravamina fecit, quem tamen sanctus Benedictus auxiliô DEI, & mediante signô S. Crucis semper vicit, confudit, atque ex multis energumenis (semel etiam per solam alapam) expulit.

Annô Christi 536. Sanctum Placidum in Siciliam, & posteà annô 543. S. Maurum in Gallias misit. Circa hunc ultimum notabile quid contigit: Manifestaverat S. Pater Religiosis suis appropinquantem obitûs sui diem, quô auditô contristabantur qui-

 dem,

dem, inde tamen hauriebant solatium, quòd mortuô S. Patre Divum Maurum Abbatem se habituros sperarent. Postquàm autem ordinaverat sanctus Benedictus, ut Maurus transiret in Gallias, Congregatio Cassinensis jam nullum ampliùs admittere solatium voluit: quarè S. Pater ad se convocatos eleganti sermone confirmavit, quem hîs penetrantibûs verbîs conclusit: Fratres charissimi: non vos resolutio hujus corpusculi animîs consternatos efficiat, quoniam præsentior vobis ero carnis depositô onere, vestrîque per DEI gratiam cooperator assiduus. Promissio hæc valde est consolatoria, quam omnes sub ejus Regula DEO servientes filialî confidentiâ acceptare, ac paternum ejus auxilium certò præstolari possunt, ac debent.

Vixit S. Pater Benedictus in monte Cassino annîs 14. multa, ac magna ibidem edidit miracula: nam spiritu prophetico claruit, arcana cordium, & occultas Religiosorum suorum transgressiones agnovit, eosq; paternè corripuit. Vincula cujusdam rustici innocenter captivi unicô oculorum suorum intuitu dissolvit. Et cùm esset in egentes multùm misericors, DEUS ipsi in necessitatibus pecuniîs, frumentô, & oleô prodigiosè succurrit. Non solùm multos langventes curavit, sed & mortuos vitæ red-

reddidit. DEUS illi in uno Solis radio mundum totum, & quæ circa ipsius ordinem usque ad finem sæculi futura essent, multáque alia mirabilia demonstravit.

Annô vitæ ejus 63. & ultimô visitavit eum sextô die Februarij Soror ipsius Sancta Scholastica, quasi valedictura Fratri, eúmque notô illô miraculô subitaneæ tempestatis adegit, ut tota nocte cum ipsa de gaudijs vitæ æternæ colloqueretur. Quartô die post, id est, 10. Februarij, vidit animam dictæ sororis suæ corpore resolutam in columbæ specie cælum penetrantem. Sequentî 21. Martij feliciter eam secutus est, cùm in Vigilia Paschatis, post suscepta SS. Sacramenta in Ecclesia stans ante aram manè horâ nonâ sub manibus discipulorum suorum mortem beatam obijt, ejusq; anima inspicientibûs in extasi duobûs ipsius Religiosis per viam pretiosis tapetibûs, & innumeris splendidissimis lampadibûs ornatam cælum triumphabunda conscendit. Vide plura apud S. Gregorium & alios.

§. 2.

Quantum utilitatis S. Benedictus Ecclesiæ DEI attulerit?

PUlchrè admodùm Sanctus Augustinus ait; Solus

Solus DEUS humano generi omni tempore aptas medicinas dispensare scit & potest. Quemadmodum hoc factum sit antiquo populo Israël, & post Ascensionem CHRISTI usquè modò in & erga Ecclesiam DEI, amplum nimis esset recensere: ego autem supersedeo. Id solum hôc locô assero, totam Christianitatem in magnis calamitatibus fuisse constitutam, cùm DEUS ad illius auxilium S. Benedictum misit. Rem totam, nec non utilitatem, quam dictus S. Pater Ecclesiæ attulit, eruditissimus scriptor Annalium Ecclesiasticorum Cardinalis Baronius fideli calamô recenseat. Sic ille loquitur: illô tempore videre erat, quomodò totus orbis Christianus Principibus Hæreticis subjectus fuerit, ita, ut ne unus quidem Rex Catholicus modicæ etiam Provinciæ dominaretur. Postquàm narravit Baronius, quinam Principes suam in unoquoque Regno tyrannidem exercuerint, ita pergit: Germania per irruptiones Barbararum Gentium majori parte vastata erat, & conculcata. Quæ autem morum perversitas calamitosîs hisce temporibûs orbem Christianum dehonestaverit, quæve scelera dominatum tenuerint, verbis declarari vix potest.

Jam in hac terra caligine horrendæ noctis hujus, densîsque tenebrîs tanta lucis claritas erupit, per quam totus orbis Catholicus

licus illuminatus est. Nam (quod summè mirandum) apparuit in hac vocatione S. Benedicti sublimis illa Providentia, qua DEUS Ecclesiæ suæ opitulari volebat: tantus enim splendor ad illuminandam Ecclesiam è Viro DEI Benedicto refulsit, ut radios suos ab ortu solis, usquè ad occasum, & á septentrione in meridiem usque longè latéque diffuderit: atq; è parvis virgultis magnæ sylvæ fructiferarum arborum exortæ sunt, quæ totam occidentalem Ecclesiam impleverunt. Fuit hic Ordo amplissimum seminarium, è quo processêre magnô numerô Sancti Episcopi variarum Ecclesiarum. Nec defuêre Viri, qui sedentes in Apostolico Throno totam Ecclesiam Catholicam inter furores atque tumultus horribilium fluctuum fortiter ac constanter gubernavêrunt. Progressi sunt etiam ex hoc ordine Viri Apostolici, qui multas Barbaras Regiones, quæ jugo CHRISTI aliàs se subijcere detrectabant, eousquè moverunt, ut fidem Christianam promptîs tandem animîs susceperint. Alij processêre, qui arduos ob fidem agones decertârunt, & victores martyrij coronam obtinuerunt. Præterimus hôc locô illos, qui per eminentem, & sacram eruditionem suam inter Doctores Ecclesiæ resplenduerunt. Neque recensemus (prout etiam vix numerari possunt) agmina Sancta-
rum

rum Virginum. Nequè etiam, quàm magna & immensa flumina ex hoc (ob humilitatem suam) parvo fonte exorta sint; dicere volo; quàm multi sancti exercitus Monachorum è diversis ordinibùs à S. Benedicto originem duxerint, qui etsi in Ecclesia, quæ varietate circumdata est, varia habeant nomina, gloriantur tamen, ac gaudent, se S. Benedicto suum initium debere. Hucusquè Baronius.

Sunt autem præcipuè duodecim sacri ordines eandem cum Benedictinis Regulam habentes. Si secundùm tempus institutionis suæ recenseantur, primus est Cluniacensium, institutus annô 913. Secundus Camaldulensium, annô 1012. Tertius Vallis Umbrosæ annô 1073. Quartus Grandimontensium annô 1080. Quintus & celeberrimus Cisterciensium, annô 1098. Sextus Fontis Ebraldi annô 1107. Septimus Humiliatorum circà annum 1066. non extat ampliùs. Octavus Montis Virginis annô 1142. Nonus Wilhelmitarum. Decimus Cælestinorum annô 1294. Undecimus Montis Oliveti annô 1319. Duodecimus Sylvestrinorum annô 1232. His accenseri potest ille, quem S. Francisca Romana instituit. Ultra hos sunt adhuc alij duodecim Ordines Equestres, qui utuntur Regulâ S. Benedicti, sed brevitatis gratiâ hîc non adducuntur. Et hæc sunt flumina,

quæ

quæ ex humili fonte Benedictô emanârunt, ut ſuperiùs ajebat Baronius.

§. 3.
Quando, vel ubi conſcripta fuerit Regula à S. Benedicto?

DUbitari non poteſt S. Benedictum tunc cœpiſſe Regulam ſuam ſcribere, quando prima duodecim monaſteria conſtruxit, videlicet poſt annum Chriſti 510. Clarum etiam videtur eſſe, quòd primùm in monte Caſſino eam plenè impleverit; cùm enim in quolibet ex primis illis Monaſterijs duodecim tantùm fuerint Monachi, nullum ibi locum Decani habebant: proinde Capitulum illud una cum aliquibus alijs primum in monte Caſſino Regulæ inſertum fuit. Hæc autem citra omne dubium perfecta fuit annô 536. ubi S. Placidus in Siciliam directus eſt, nam S. Pater ei Regulam ſecùm deferendam tradidit. Duravit itaq; ſalutaris uſus hujus Regulæ jam completis mille, centum, & quinquaginta annîs in Eccleſia DEI, & ſecundùm DEI promiſſum ad finem mundi usq; perſeverabit. Obſervatum etiam fuit, quòd etiamſi diſciplina monaſtica, imò ipſe Ordo ex negligentia Præpoſitorum, vel tepiditate Religioſorum in ali-

aliquibus locis defecerit, alibi nihilominùs floruerit, ejusq; fervor nunquàm plenè cessaverit, sicut nec pro nostris temporibus exempla desunt, quibûs idipsum demonstrari posset, sed non est hujus loci.

Paterna etiam DEI Providentia, ac Bonitas in conservatione Regulæ hujus semper in hoc emicuit, quòd ut primùm genuinus fervor, & originalis spiritus apud Ordinis hujus Religiosos defecit, ac languor invaluit, mox Viros zelosos, & spiritu plenos suscitârit, qui regularem disciplinam iteratò instaurârunt.

Benedictini à principio Ordinis sui ad quadringentos annos totam penè Ecclesiam Catholicam laudabiliter gubernârunt; tot etiam ubivis locorum sub illud tempus erecta fuerunt Cænobia, totquè millia ex hoc Ordine Sanctorum Catalogo inserti sunt, ut propè credi non valeat. Postquàm autem circa annum Christi 900. (ferreô illô sæculô) primus fervor penè elanguit, misit DEUS S. Odonem, qui Ordinem in tam felicem statum iteratò redegit, ut Ecclesia universa exinde lætata sit, magnumq; incrementum perceperit. Hæc beata sors non omninò ducentos annos perduravit, quapropter Divinus Spiritus Sanctos Patres Robertum & Bernardum excitavit, qui collapsam disciplinam strenuè rursùs innovârunt.

runt, tantumquè in hoc genere præstitit S. Bernardus, ut ab ignaris hominibus Fundator celeberrimi sacri Ordinis Cistercensienſium habitus sit, cùm tamen solùm magnam nominis famam & excellentiam huic Ordini suô zelô attulerit. Reformatio hæc per aliquot sæcula incredibilem in Ecclesia DEI fructum fecit. Succedentibûs temporibûs alij Viri Sancti in fundationibus novorum Ordinum desudârunt, ut suprà breviter indicatum est.

Novissimîs nostrîs temporibûs jam non ampliùs construuntur Benedictinis Monasteria, sed potiùs bonîs suîs, ac possessionibus non rarò cedere coguntur. A longô etiam tempore non adeò multos habemus Catalogo Sanctorum inserendos. Cur hoc? Respondet, ut existimo, ad hanc quæstionem Salvator noster, quia videlicèt in nobis etiam verificatur illud vaticinium ipsius: Refrigescet charitas multorum. Interpretare meliùs, si potes. Ignoscat nobis bonus DEUS teporem nostrum, & Spiritum nobis largiatur primorum Patrum Ordinis nostri.

§. 4.

Ulteriores Animadversiones super Regulam S. Benedicti.

PRimum punctum: firmiter teneat Persona Reli-

Religiosa sub Regula S. Benedicti DEO serviens, scripsisse sanctum hunc Patrem suam illam vitæ normam, seu Regulam ex impulsu, ac singulari instinctu Spiritûs Sancti. Ita credit universa S. Ecclesia: ita testantur SS. Doctores, Gregorius Magnus, Petrus Damiani, & alij. Verba S. Patris Bernardi sic habent: in dubium vocari nequit, quòd norma hæc vivendi (secundùm Regulam S. Benedicti) tota sancta, & divinô potiús consiliò ac inspiratione, quàm humanô cogitatu ac providentiâ sit inventa. In Homilia: Ecce nos reliquimus omnia.

Imò testatur hoc Deipara Virgo MARIA ad S. Brigittam inquiens: Benedictus Regulam scripsit de Spiritu Sancto, per quam multi perfectionem obtinuerunt, uti Benedictus. L. 3. revelat. cap. 20.

Punctum 2. Quemadmodùm Filius DEI divinam suam Doctrinam non pro illis tantùm instituit, qui eo tempore vixerunt, sed pro omnibus & singulis, qui ad finem usq; mundi victuri essent; ita Spiritus Sanctus adeò attemperavit & moderatus est Regulam S. Benedicti, ut eam non illi tantùm, qui vixerunt tempore S. Benedicti, servare possent, sed ut ab omnibus etiam & singulis, qui sub directionem & doctrinam hujus S. Patris se conferre vellent, absq; singula-

gulari gravamine posset observari usq; ad finem mundi. Ita statuit magnus & sanctus Christi Vicarius Gregorius Magnus, his verbis: Ego Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam B. Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit; laudavi eam, & confirmavi in S. Synodo: & - - - præcepi, ut diligentissimè observarent, quicunque ad conversionis gratiam accessuri essent, usquè ad finem mundi &c.

Punctum 3. Cùm ergo hæc Regula ex dispositione DEI, & S. Ecclesiæ usquè ad finem mundi durare debeat, hinc ex instinctu Spiritûs Sancti valde excellit discretione. Altè fatus magnus Pontifex Gregorius ita scribit: Benedictus scripsit Regulam Monachorum, discretione præcipuam, sermone luculentam.

Imò DEUS Pater apud S. Hildegardem inquit: Dulcedine inspirationis Sancti Spiritûs Benedictus fecit discretam, ac planam viam. Et Filius DEI apud Sanctam Brigittam sic ait: qui vult salvus fieri, advertat, quòd Regula Benedicti mei res necessarias cum discretione habere permittat. Indulget necessaria, sed non superflua &c. Magna sunt hæc utiquè testimonia de discretione Regulæ hujus.

Fideliter hâc in parte servavit S. Bene-

nedictus in scriptione Regulæ suæ, quod ab initio promisit, velle se pium, & discretum Patrem esse. Hinc ab ipsius tempore usque modò factum est, quòd pusilli & magni, juvenes & senes, nobiles, & ignobiles, pauperes & divites, fortes & debiles, honorati, & plebeij dulci Regulæ jugo se submiserint, perquè hanc planam & discretam viam tot mille & millia æternam beatitudinem consecuti, & adhuc consecuturi sint.

Punctum 4. Quandoquidem ergo hæc Regula tantoperè a Spiritu Sancto attemperata, & in seipsa discreta est, ut usque ad finem mundi servari valeat, periculosè mihi loqui videntur quidam tepidi Religiosi, si palam asserere non vereantur, Regulam nostris temporibûs non ampliùs servari posse: neque audire volunt, si de genuina illius observatione sermo fiat. Apparet, quasi Regulam, illiusquè Authorem pro indiscreto haberent, cùm tamen S. Benedictus infirmorum & debilium, item etiam senum & infantium tam paternè memor sit, & de cætero alia omnia tam discretè ordinet & attemperet, ut & fortes sint, qui cupiant, & infirmi non refugiant.

Punctum 5. Cùm hæc Regula, ut dictum, jam ad mille, centum, & quinquaginta annos duraverit, longâ hâc temporis in-

terca-

tercapedine pauca quædam statuta ab universali Ecclesia facta sunt, per quæ una & altera regularis constitutio sublata fuit. Sed de his inferiùs in animadversionibus super Regulam debitô locô tractabitur.

§. 5.
Animadversio
Super Prologum Regulæ S. P. Benedicti.

QUantumvis hic Prologus in seipso clarus, doctrinâ & suavitate plenus sit, simplicioribus tamen Religiosis sub Regula hujus S. Patris DEO servientibus sequentia puncta consideranda propono:

1. S. Benedictus, ut animas Christianas ad veram conversionem, & vitæ perfectioris inchoationem eò efficaciùs movere possit, assumit personam & amorem fidelissimi Patris spiritualis, imò benigni ac pij Patris, ut supra etiam insinuatum est. Nec congruum mihi videretur, si quis dicta verba: *Pij Patris* (quæ S. Benedictus ponit initiô Prologi) interpretari vellet: probi Patris, des frommen Vatters: certè vir sanctus & humilis non ita seipsum compellaverit, benè autem pro benigno Patre spirituali se obtulerit. In eadem verborum acceptio-

ne salutamus etiam Reginam Cælorum: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo &c.* Demonstrat autem S. Benedictus magnam suam, & paternam benignitatem atquè clementiam, dum incipientes suos dilectos spirituales filios in hoc prologo suo consolatur, quòd nihil asperum, nihilquè grave in Regula sua constituere cogitet; sed &, si quid paululum restrictius propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit, non illicò terreantur, multò minùs refugiant: viam salutis non esse quidem nisi angustô initiô incipiendam, processu verò temporis sinè difficultate aut violentiâ, sed inenarrabili dilectionis dulcedine cursuros viam mandatorum DEI. Experiuntur hanc veritatem omnes fervidi Religiosi, qui in observatione Regulæ suæ nullam ampliùs difficultatem sentiunt, sed magnô cum solatiô experiuntur, jugum Christi suave, & onus ejus esse leve. Et nos ergo tam pium, & dulcem Patrem cum reverentia auscultemus, & Prologum ejus tam plenum paterno affectu unacum annexa Regula spirituali desideriô legamus, ac pro posse observemus.

2. S. Benedictus hîc certam spem facit dilectis filijs suis, quòd per Regulam suam non aliam ipsis doctrinam velit proponere, quàm doctrinam Christi, & proinde ipsos duce-

ducere per ducatum Evangelij, per illa fundamentalia dogmata, quæ æternus DEI Filius in suo sancto Evangelio nobis reliquit. Quemadmodùm igitur ipse divinam suam doctrinam fundavit in tribus capitibus, quãdo ad omnes dixit: *Si quis vult post me venire, 1. abneget Semetipsum, 2. & tollat crucem suam quotidie, 3. & sequatur me.* Ita & S. Benedictus Regulam suam ijsdem capitibus inniti vult, dum mox ab initio Prologi sui nullum pro filio aut discipulo suo vult agnoscere, nisi qui 1. abrenuntians proprijs voluntatibus, obedientiæ fortissima atq; præclara arma assumit. 2. In eodem hoc Prologo docet nos bajulare crucem, ubi nos hortatur, ut passionibus Christi per quotidianam patientiam participemus. Et 3. docet nos sequelam Christi, dum hic etiam præscribit, ut ab eis nunquam magisterio discedentes, in ejus doctrina usq; ad mortem in monasterio perseveremus, ut hunc cælestem Regem nostrum in suo tandem Regno videre, ejusquè felici possessione æternùm frui valeamus.

3. Scopus ergo, ad quem nos Regula dirigit, est æterna beatitudo. Et per hunc ipsum securum tramitem ad tam magnam gratiam & gloriam pervenit S. Pater Benedictus. Declarat hoc pulchrè S. Bernardo sequentibûs verbis: quænam est via, per

quam dilectus Domino Benedictus cælum tam gloriosè conscendit, quàm ipse Ordo, quem instituit, vitæq; norma, (seu Regula) quæ ab ipso trahit originem? imò hæc ipsa est via, per quam ascendit dilectus Domini: non enim potuit vir sanctus aliter docere, quàm vixit. Dein S. Bernardus ita prosequitur: & hæc est maxima fiducia illorum, qui ejus vestigia (servando ejus Regulam quantùm possunt,) sequuntur.

Manet ergo indubitatum, quòd quemadmodùm S. Patriarcha Benedictus, ac post ipsum tot mille, & millia utriusque sexûs per hanc Regulam à Spiritu Sancto dictatam beatitudinem æternam consecuti, imò ex ipsis ultra quinquaginta millia sanctorum numero inscripti sunt, ita & deinceps omnes illi, qui sæpè dictam Regulam assumunt, & pro posse servant, tutam, ac suavem ad cælum viam perambulent: dicit enim: facientibus hæc regna patebunt superna. Amen. Hîs verbîs majori ex parte etiam perantiqua Regulæ exemplaria finiũtur.

4. Ex dictis quælibet Persona Religiosa colligere potest, spiritum S. P. Benedicti omninò similem esse Spiritui Christi, imò verò eidem conjunctissimum. Et quidem quod concernit principale fundamentum vitæ spiritualis (quod scilicet mundum debeamus relinquere) videre est, quòd sicut aman-

amantiſſimus Salvator noſter nullam partem cum mundo habere, nec pro illo Patrem rogare voluit, (hanc ob cauſam quater illa verba repetit apud S. Joannem: *Ego non ſum de mundo.* Et Joan: 17. *Non pro mundo rogo. &c.*) Nec etiam diſcipulos ſuos quidquam cum mundo commune habere paſſus eſt, (*ego elegi vos de mundo. De mundo non eſtis. &c.*) imò vult, ut omnes ſui ſequaces Chriſtiani omnem guſtum, affectum, & occupationem circa mundum à ſe proſcribant (*abnegantes ſæcularia deſideria.*) econtra autem benè compoſitam, piam, & ſobriam vitam ducant, &c. Sic & ſimiliter docet nos S. Benedictus, ut abſtrahamus nos a negotijs ſæculi (à ſæculi actibus ſe facere alienum) ita quidem, ut hominum ſæcularium principia, inventiones, Politicam, auliciſmos, modum loquendi, agendi, &c. Prorsùs relinquamus, & econtra in ſimplicitate, humilitate, ſolitudine, paupertate, patientiâ &c. ſecundùm Spiritum Chriſti vivamus. Huc quadrat: *Qui non habet Spiritum Chriſti, hic non eſt ejus.* Roman: 8. non eſt Religioſus, imò nec Chriſtianus. Sed non plura de his. Cùm ergò Spiritus Chriſti, imò & æterna beatitudo per Regulam S. Benedicti obtinenda ſit, videamus in nomine Domini, quomodò eadem legenda, intelligenda, & modernô tempore in hiſce locis ſervanda

 ſit.

sit. Ad hoc nobis DEUS omnipotentem suam Benedictionem largiatur.

Animadversio super primum Capitulum.
De quatuor Generibus, seu Vitis Monachorum.

QUoniam tempore S. Benedicti varij status & species Monachorum erant, ideò declarat in hoc suo primo capitulo, pro quibus Regulam suam voluerit scribere. Omnium primò adducit cænobitas. Vocabulum hoc illos significat, qui in Monasterio aliquo sub approbata Regula, & debitè ordinato Superiore in unum congregati vivunt. S. Joannes Chrysostomus, & Cassianus docent, hunc statum vivendi à sanctis Apostolis institutum fuisse, dum nimirùm primi fideles in communitate socialiter vivebant, nullus proprium aliquid possidebat, sed cuilibet pro sua indigentia ex communi penuario distributum fuit. In tanta etiam charitate & unitate degebant, ut S. Lucas de illis scribat, eos omnes nōnisi unum cor, & animam unam habuisse. S. Basilius tenet, hanc formam vitæ ab ipso Christo JESU introductam fuisse. Sublimis ergo est, & sancta, & omnî solatiô plena ve-

rorum

rorum cænobitarum origo. Hos cænobitas vocat S. Benedictus fortissimum genus Monachorum; & hoc ideò, quia magnum utiquè robur Spiritûs Sancti requiritur, ut homo fragilis cum alijs fragilibus totam vitam suam irreprehensibilem transigat, & sub obedientia humani & fragilis Superioris usquè ad extremum Spiritum constanter perseverare possit.

Secundò recenset S. Pater Anachoretas, qui sunt duplicis generis: primi sunt, qui postquam monasterij probatione diuturnâ multîs annîs sub obedientia vixerunt, satìs etiam didicerunt, cum diabolo pugnare, deindè cum consensu Superiorum in eremum se conferunt, aut cellæ alicui se includi permittunt, ita tamen ut nihilominùs maneant sub directione Præpositorum suorum: & hos non excludit S. P. Benedictus, sed in numerum filiorum suorum admittit. Hujusmodi olim multi erant in cænobiis nostrarum Provinciarum, è quibus nonnulli magnam consecuti sunt sanctitatē. Secundi generis sunt, qui ex immaturo & præcoci zelo, non præmissâ Regularis disciplinæ probatione se in periculosas solitudines conferunt secundùm propriam suam voluntatem vivunt, nec jugum obedientiæ benè pati possunt, &c. Et tales proprietarios homines non agnoscit S. Benedictus pro filijs suis.

Tertiò locô numerat S. Pater Sarabaitas (est vocabulum Ægyptiacum, quod idem significare potest, ac cervicosi, seu proprio judicio affixi) hos procul à se rejicit, & meritò. Unà cùm his excludit etiam alios horum similes Religiosos salutis suæ prodigos, qui etsi portent habitum, & in Monasterijs unacum alijs habitent, suos tamen inconditos sæculares mores adhuc in se retinent, atquè ita DEO mentiuntur, (ut loquitur S. Pater) hominesq; decipiunt, quia pro Religiosis haberi & æstimari volunt, cùm tamen interiùs toti mundani, & adhuc tam superbi, invidi, contentiosi, impuri, dissoluti in sermone, gulosi, irreligiosi &c. sint, ac priùs, nec bonam habent voluntatem, aut studium talia vitia deponendi. Ulteriùs excludit S. Benedictus illos, quos juxta morem Sarabaitarum secundùm proprium judicium vivere delectat, nec sibi à Superiore quidquam mandari patiuntur; quod putaverint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum, quod autem præcipit obedientia, hoc illis est insipidum, imprudenter ordinatum putant, &c. Tales sunt hypocritæ, non Religiosi.

Quartò refert S. Benedictus, atquè è numero discipulorum suorum excludit Gyrovagos (dici possunt Vagantes) & unacum illis reprehendit quosdam inquietos Religiosos,

osos, quibus cellæ suæ, ac Monasteria nimis angusta sunt: hi cum displicentia superiorum excurrunt ad suos amicos, ab uno Monasterio in alterum sinè ulla causâ migrare volunt, delicias suas quærunt in lautis cibis ac potibus, & periculosâ libertate. Inquieti sunt non modò corpore, sed & spiritu &c. Sed nolebat S. Pater de horum, & similium omnium miserrima conversatione multa loqui.

Scripsit ergo S. Benedictus Regulam suam pro generosis duntaxat, & veris cænobitis, qui in una congregatione cum charitate & obedientia sub ipsius Regula vivunt, priores suos malos mores successivè deponunt, cum gaudio manent in monasterio, in vocatione sua usquè ad beatum finem perseverare decreverunt.

NB.

Hîc singulare aliquid advertas, velim. Mirantur multi, cur S. Benedictus in formula Professionis (quam cap: 58. præscribit) nullam mentionem faciat de voto paupertatis, & castitatis? sed hîc jam elucescit hujus ratio, & est ista: S. Pater in hoc suo primo capitulo recensitos tres abortus sceleratorum, vel imperfectorum Monachorum è Monasterijs suis adeò exclusos voluit, ut à suis discipulis exigat, quatenùs eosdem solemnibûs votîs quasi anathematizent,

zent, atq; à se proscribant. Ut itaq; inquieti illi Gyrovagi, seu Vagantes eliminentur, vult, ut sui coram DEO & Sanctis ejus, in Ecclesia, in præsentia Abbatis totiusq; congregationis voveant & promittant stabilitatem. Dein ut etiam excluderentur hypocritæ Sarabaitæ, qui sub habitu religioso mores & vitia sæcularium abscōdebant, vovere debebat Neoprofessus conversionem morum. Ut demùm proscriberentur, & præcaveri posset immaturis illis & proprietarijs Anachoretis, volebat Sanctus Benedictus, ut discipuli sui promitterent obedientiam. Videtur igitur, cur S. Pater voti castitatis & paupertatis in formula professionis non meminerit, hanc profatam esse causam. Verùm non exclusit hæc duo vota, sed inclusit, & præsupposuit, quia sine his tanquàm essentialibus, seu substantialibus votis nullus Ordo Religiosorum potest subsistere. Aperiamus oculos, utì debemus, & propriè nos ipsos perspiciamus, an cum hypocritis Sarabaitis, inquietis Gyrovagis, aut proprietarijs Eremitis nihil nobis commune sit? plurimùm sanè nostrâ interest, ut in extremo articulo, & coram Tribunali Christi pro veris Sancti Benedicti filijs agnoscamur.



§. De

§.
De quinque Votis.

QUoniam in priori Animadversione occasio se mihi obtulit, nonnihil de votis secundùm Regulam S. Benedicti disserendi, consultum mihi videtur, & novellis Religiosis admodùm proficuum, ut hic loci non tantùm vota substantialia, sed & duo annexa singularia vota debito Ordine pertractare incipiam, declarandô, ad quidnam obligent; quia ab his dependet æterna salus personæ religiosæ. Adducam igitur hîc in compendio illa, quæ S. Benedictus diversîs suæ Regulæ capitibûs de hac materiâ scribit.

Quocircà inprimis notandum, tria esse vota essentialia, seu substantialia, cuilibet Ordini communia, & sinè quibus nullus Ordo potest subsistere: videlicet votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Præter hæc tria nonnulli Ordines adhuc alia specialia habent vota. Carthusiani vovent, per totam vitam abstinere carnibûs. Minimi seu Paulini promittunt insuper abstinentiam ab ovis lacte, butyro, caseo, &c. Patres Societatis speciale votum habent in Ordine ad Summum Pontificem quoad Missiones. Qui secundùm Regulam S. Benedicti vivunt,

vunt, præter tria communia vota promittunt etiam stabilitatem, & conversionem morum. De his quinque votis nonnulla hic pro tyronum commodo adducam.

Votum Paupertatis.

DE hoc scribit S. Pater in capitulis 33. 34. 54. 58. 59. & alibi. Votum istud Religiosum obligat 1. ut nihil proprium possidere valeat, nè acum quidem. Ita, ut in hoc sensu (proprietatis) de nulla re dicere possit: hoc meum est. Si tamen hujusmodi verbis nil aliud quis significare vellet, quàm, talem rem sibi, & non alteri à superiore in usum concessam esse, non adeò erraret in hoc vocabulo: *meum*. 2. Ut omninò promptus, ac paratus sit, quacunq; horâ Superior res concessas, v. g. cellam, vestes, libros, &c. Iteratò vellet repetere, sinè omni murmure, aut impatientia se ad hoc resignare. 3. E rebus ad usum concessis, uti sunt cibus, potus, vestes, libri, & quodcumq; demùm sit, quamvis etiam sibi ipsi subtraxerit, non habet potestatem, cuiquam alteri donandi, vel hujusmodi ab alijs, etiam proprijs confratribûs, sine licentia accipiendi. 4. Officialibus Religiosis non est licitum, res sibi commissas aliter impendere, quàm Superior disposuerit. 5. Similiter

nequit

nequit Religiosus sinè consensu Superiorum aliquid commodare alteri ad usum, neque pro alia re commutare. 6. Non potest Religiosus quidquam accipere ab alio in depositum. 7. Nec oportet, nec licet ei quidpiam abscondere ab oculis Superiorum. 8. Religiosus habens, vel affectans superflua, contra hoc votum peccat: & etiamsi Prælatus superflua concederet, licentia talis foret invalida, quia sacri canones hujusmodi licentias annullant. 9. Bonus Religiosus, juxta gradum sextum humilitatis, paupere cellâ, viliori cibò, detritis vestimentis &c. contentus sit, viliora eligat, imò si talia ipsi obtingant, ex animo gaudeat. Tali siquidem modô pauperi Christo conformior, ac charior est. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Religiosi paupertatem professi nec paupertatis incommoda tolerare volentes, qui omnia semper ad votum, sine defectu aut penuria, aut plus insuper, quàm sufficit, habere appetunt, & quandò nonnihil ipsis deest (quis enim locus, ubi nullus unquam defectus?) murmurant, impatientes fiunt, psallunt, orant, ac reliqua sua opera cum nausea peragunt, &c. Tales, inquam, & hujusmodi non sunt cōformes, nec chari pauperrimo Salvatori, nec ullam aliquando coronam expectare possunt.

Si Religiosus de rebus monasterij citrà licen-

licentiam notabile quid accipiat, sibiquè usurpet, vel alijs tribuat: facili negotiô votifragus fieri potest. Et si facinus ad gravitatem peccati mortalis ascenderit, erit insuper casus reservatus. DEUS omnes Religiosos à lapsu tam gravi custodiat.

Votum Castitatis.

OMnes homines vî sexti præcepti in decalogo castitatem suo statui congruam servare tenentur. At verò Religiosi hanc præcepti obligationem votô confirmant, vî cujus 1. nunquàm contrahere possunt validum matrimonium. 2. Non tantùm ab omnibus externis actibus impuris abstinere, sed omnem etiam internam complacentiam, delectationem, aut voluntariam cogitationem super hujùsmodi rebus declinare tenentur, sicut etiam obligati sunt ad seriam diligentiam in evitandis omnibus, quæ vel in ipsis, vel apud alios inordinatum amorem, pravas cogitationes, aut quoscunq; demùm sensuales inordinatos affectus, desideria, vel aliam impuritatem causare possent, utì sunt nimis tenera colloquia, aut litteræ, gestus indecentes, vexationes parùm circumspectæ, impudentes & audaces aspectus, non necessaria manuum compressio, aut aliæ inconvenientes amoris significationes. Non patitur

titur decor Angelicæ hujus virtutis, ut de rebus magìs peccaminosis, quæve plus habēt periculi, aliquid differam. Oportet tamen nonnihil memorare ob extremum æternæ damnationis discrimen; siquidem juxta mentem S. Augustini multum hæc res habet certaminis, sed parum victoriæ apud incautos, & juniores.

Personis religiosis, ac DEO dicatis summa hujus voti necessitas est, ne ab amore aut sollicitudine erga quamcunq; creaturam in laude, amore, perfectoq; servitio DEI impediantur. Sic enim ait vas electionis S. Paulus: *Volo autem vos sinè sollicitudine esse. Qui sinè uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodò placeat DEO; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi & divisus est. Mulier innupta, & Virgo sollicita est, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu, &c.* hucusquè S. Apostolus 1. Cor. 7. qui igitur DEO se consecrârunt, cor indivisum habere debent. Et magna utiquè est gratia, quòd infinita DEI Majestas cor alicujus creaturæ dignetur postulare, dicens: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Prov: 23. Vult ergo Sponsus animarum nostrarum, ne ulla creatura per inordinatum nostrū amorem quidquam de corde nostro participet, multò minùs totum possideat, sed ut ipsi soli reservemus integrum & indivisum. Tenemur

qui-

quidem omnes etiam diligere proximos, sed non nimiùm, longè minùs ex toto corde, sed charitate quadam sanctâ, discretâ, in lege DEI benè fundatâ, & ad omnes universaliter se extendente.

In hoc hallucinantur multi boni juvenes, ac tyrones, quando decepti à sua perversa natura, vel fraude dæmonis singularem quandoquè, ac magnum concipiunt amorem certæ alicujus personæ, ita quidem, ut cor eorum ab eadem affectione totaliter jam occupatum sit, priusquàm advertant. Mirantur insuper, unde exortus sit amor tam singularis. Et quoniam in hac re nullam fortè deprehendant malam, aut impuram affectionem arbitrantur, hunc nonnisi merè sanctum amorem esse (cùm tamen nonnisi naturalis, aut sensualis sit) inde fit, ut fræna laxent inordinationi huic, donec eousquè excrescat, ut brevi omne gaudium perdant imò nullum, quando intersunt divino officio, gustum percipiant, nisi persona dilecta ibi præsens sit. Hinc frequentes non absq; singularitatis nota collocutiones, inquietudines cordis, & crebrior propemodùm personæ amatæ, quàm DEI memoria: hinc cura, & sollicitudo, quomodò amor reciprocus captari, aut obtineri queat. Et si vel unicum appareat signum, ex quo judicari pos-

poſſit, amorem hunc mutuum ceſsâſſe, ô quantæ turbationes, amaritudines, & anxietates in tali animo exurgunt! parùm abeſt, quin his impleatur illud: *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Oſeæ 10. Ut nihil jam memorem, quàm diverſas cogitationes, quæ tædia, reliqui concipiant, dum vident duas inter hujusmodi perſonas tam ſingularem familiaritatem, ſermocinationes, & quaſi confidentiam intercedere. Verbô abſolvam: nullibi defectus eſt, quàm ubiqué. Imprudentes tales homines ab hoc ſtulto amore, & inde conſequentibus curis magis ſemper impediuntur in laude, amore, ac ſervitio DEI, plùs diſtracti ſub oratione fiunt quàm homo quidam conjugatus in ſæculo, quocircà magnam DEO rationem reddent, eò quòd cor ſuum tantoperè dividant, illudq; poſſidendum tradant miſerabili creaturæ, quã tamen adeò æſtimant: undè fit, ut nec velint, nec poſſint DEUM ex toto corde amare.

Adverte hîc magnum periculum: Anima Religioſa comparari poteſt pauperculæ cuidam ancillæ, quam Rex omnium Regum in die Profeſſionis ſibi deſponſatam Reginam efficit, eamquè cordialiter diligit. Jam: ſi hujusmodi Regina cor ſuum ac vultum à Rege averteret, & viliſſimum quendam ſtabularium deperiret, nonnè in perpetuum à Regis aſpectu & conſortio eijci mereretur?

quid sunt creaturæ DEO comparatæ, nisi exigui terræ vermiculi? & sæpè nihilominùs ad has convertimus animum, DEO verò per inordinatum amorem tergum obvertimus. Nec juvat dicere, personam, quam amas, piam, aut sanctam videri: nam & S. Petrus nimiô ferebatur amore ac sollicitudine in S. Joannem; sed JESUS hoc tolerare non potuit, ac propterea ipsum corripiens dixit: *quid ad te? tu me sequere.* Oportet me hac in re testem adducere, ut eò major fides mihi adhibeatur, si hujusmodi amores periculosos, imò summè noxios esse, dixero. Illuminatissimus Cardinalis Bona, Sacri Ordinis Cisterciensis, ita scribit: perniciosa amicitia fugienda, ac declinanda est, quæ mentem affigit Personæ amicæ: primosquè illius motus, statim ut insurrexerint eradicare, ac delere necessum est, ne animum dulci venenô suô inficiant. Hi motus facile adverti ac cognosci possunt, si omnes affectus ac cogitationes in personam dilectam tendunt, eàquè totaliter occupantur, ita, ut etiam cor in his suum gaudium ac delectationem habeat. Nec obstat, si talis amicitia non appareat nociva, sed potiùs pura & innocens: nam successivè magis ac magis animum emollescere facit, & demùm transit in amorem carnalem. &c. Hucusq; Bona, in Princip: vitæ Christi, c. 41.

Re-

Religiosus, qui nullos hujusmodi motus inordinati & sensualis amoris in se expertus est, (nil dicam de amore prorsùs malo & carnali, ne honestis animis tœdium ac nauseam excitem) magnas DEO referat gratias, oportet, humillimè divinam opem implorando, ut deinceps etiam à tam nocivo veneno præservetur. Qui autem talibûs tentationibus nonnihil impugnatur, resistat totîs viribus, dum ignis adhuc parvus est, nè aliàs erumpat incendium difficulter extingvendum. Imò plerisquè hominibus tàm grave est, ac ipsa mors, si talis amor, qui jam in ipsis radicatus est, emori debet. Ulteriùs oportet primò: DEUM fiducialiter rogare, ut nimium hujusmodi amorem erga aliquam creaturam transmutet in suum amorem, ipsumque rectè & ordinatè amare doceat. 2. Sæpe coram DEO protestetur, se neminem ex toto corde amare velle, præter ipsum solum, cætera autem omnia secundùm DEI ordinationem. 3. Consilium & opem quærere debet ab expertis magistris spiritualibus, præsertim à Confessario, occultumq; malum detegere, ut diabolus hôc modô cõfundatur, tentatus autem liberetur.

S. Benedictus selectissimas nobis tradit doctrinas & media, quæ ad hoc votum castitatis servandum conducunt, quando nos hortatur cap. 4. Amori Christi nihil præpo-

nere, castitatem amare, corpus castigare, delicias non amplecti, jejunium amare, diem judicij timere, & gehennam expavescere, DEUM nos respicere pro certo scire, cogitationes malas mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere, charitatem fraternitatis castô impendere amore.

Diutiùs in hac materia moratus sum, idque ad instructionem & cautelam incipientium, ut videant, quid, aut quomodò ament. Quò minùs habebunt de hoc sensuali amore, eò longiùs quoque remoti erũt à transgressione voti. Avertat DEUS ab omnibus Religiosis, ne in die illa terribili ad sinistram irati Judicis cum fœtidis hircis collocentur; quòd si verò jam lapsi sint, conentur saltem, ut si in hoc judicio nullum penès S. Joannem, S. Agnatem, aliasq; sanctas Virgines locum inveniant, per veram tamen ac constantem usqué in finem pœnitentiam apud Davidem, Magdalenam, aliosq; veros pænitentes collocari mereantur. JESUS dicit: *Ubi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit.* Vide, ubinam sit thesaurus tuus? & mox agnosces, an cor tuum apud JESUM, vel in cœnosa palude jacet.

Votum Obedientiæ.

PEr votum Paupertatis devotus Religiosus DEO

DEO ſacrificat temporalia bona, per votum Caſtitatis corpus ſuum, per Obedientiam autem omnium offert præſtantiſſimum, quod habet, videlicet animam cum præcipuis viribus intellectu & voluntate ſuâ. Proprietates veræ obedientiæ deſcribit S. Benedictus cap: 5. & alibi, eleganter ſanè, ac dilucidè. Cùm autem non omnes è junioribus Religiòſis iſta ex fundamento intelligāt, ſequentia illis puncta conſideranda ſubminiſtro.

Primo: homo ſuæ propriæ voluntatis, ac judicij tenax pro vero Religioſo haberi nequit. Hinc S. Benedictus eum duntaxat pro filio ac diſcipulo ſuo vult agnoſcere, qui propiam ſuam abnegare voluntatem, judicium proprium deponere, & Superiori in omnibus vult obtemperare. (in Prologo) Jubet inſuper ad Novitios curiosè attendi, an ſolliciti ſint ad obedientiam? cap: 58. magnum certè dedecus eſt, ſi quis interroget juniorem Religioſum, cur hoc aut illud, quod ſibi juſſum fuerat, non impleverit? & ille reſpondeat, ſe oblitum fuiſſe. An non ergo major ipſi cura eſt de obedientia?

Secundò: ad declarandam Obedientiæ naturam atq; præſtantiam, docet S. Pater Benedictus Religioſos ſuos, ut Superiorem Chriſti vices agere credant in Monaſterio. Cap: 2. item, quòd obedientia, quæ majo-

ribus præbetur, DEO exhibeatur. cap: 5. Attendi ergo in Superiore debet persona & potestas Christi, non autem illius defectus, aut imperfectiones. Filius est obligatus debitum Parentibus suis honorem, amorem, ac obsequium, nec non in rebus licitis obedientiam præstare, etiamsi forsitan mali, prodigi, aut omninò scelerati sint. Eôdem quoq; modô Persona religiosa Superioribus suis etiam non bonis, etiam defectuosis honorem, amorem, obedientiam exhibere tenetur. Ita nos hortatur, & docet JESUS Matt: 23. Ita S. Petrus primæ Epistolæ c. 2. Ita S. Benedictus c. 4. instrum. 61. & benè hîc advertendum, honorem, amorem, & obedientiam Superiori inculto, passionato, indiscreto, ac imperfecto exhibitam longè coràm DEO pretiosiorem, & subdito magis meritoriam esse, quàm quæ Superiori docto, discreto, perfecto, imò sancto exhibetur: nam in hoc posteriori casu non tam magna abnegatio ac victoria sui ipsius invenitur, ut in priori. Optandum foret, ut nonnulli Religiosi hanc fundamentalem & infallibilem doctrinam magis cordi ducerent; sic certè tot indignationes ac murmura cessarent. Ulteriùs hîc notandum, quòd si hujusmodi imperfecto Superiori obediatur, & error aliquis intercurrat, nullô modô erret Religiosus obediens, sed Superior duntaxat.

taxat. Hinc monet nos S. Benedictus, ut sine timore (non trepidè) obediamus, nisi imperium manifestè sit contra divinum præceptum. Sit deniq; Superior, qualiscunq; velit, Religioso tamen nullatenùs convenit, illum judicare, multò minùs ob suos defectus apud alios traducere. DEUS & ipsos judicabit, & nos. Adduci hôc locô meretur aurea illa S. Pauli doctrina, Hebr: 12. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis.* Ita S. Paulus. Verba notatu planè dignissima.

Quidam Religiosi imaginantur sibi, quòd si tales haberent Superiores, quales fuêre sancti Patres Benedictus, Bernardus, Franciscus, &c. sinè omni cunctatione prōptissimè vellent obedire, imò etiam perfectè sancti effici. Verùm isti se decipiunt, quia etiam sub Regimine dictorum Sanctorum quidam ex subditis ipsorum non modò inobedientes, & cervicosi fuêrunt, sed nonnulli etiam è Monasterijs profugêrūt, imò ipsum Ordinem deseruerunt. Hæc igitur DEO tam accepta, & perfecta obedientia (per quam teste S. Benedictô cap. 71. infallibiliter ituri sumus ad DEUM) non est sita in bonis & sanctis Superioribus, sed in ve-

ra abnegatione & cæca subjectione subditorum. S. Paulus ex toto cæcûs manuduci se sinebat, paratus exequi, quodcunq; juberetur, *Domine, quid me vis facere?* hic animus, hæc vox est veri Religiosi. Falsi autem longè aliter sentiunt: non potest illis Superior quidquam liberè impetrare, sed humaniter rogari debent: *quid tibi vis, faciam?* Lucæ 18. quomodò ordinare debeo, ut sit secundùm genium tuum? faxit DEUS, mî lector, ne tam miser, & salutis tuæ incurius Religiosus sis.

Tertio: proponit nobis S. Pater Benedictus cap. 5. tres præcipuè rationes admodùm convincentes, per quas stimulemur, ut promptè, velociter, simpliciter, & in rebus etiam duris atque contrarijs hilarem obedientiam præstemus. Primò: ne tanquam votifragi damnemur. Secundò, ut consequamur gloriam vitæ æternæ. Tertiò, ut sic imitemur Filium DEI, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem crucis. Ipse per totam vitam suam ne unicum quidem gressum extra obedientiam fecit. Obedivit non modò Patri suo æterno, MARIÆ, ac JOSEPHO, sed etiam Imperatori gentili, imò & carnificibus. Et nos contemptibiles terræ vermiculi Præpositis nostris subjacere recusemus? hinc sapienter admodùm agunt multi ex utroque sexu Religiosi,

ligiosi, qui nec unicum scopæ ductum extra obedientiam facere præsumunt, sed Superiorem rogant, ut suam impertiri Benedictionem, atque ad omnes quasi gressus, actiones, & omissiones obedientiam imponere velit, nequidquam ex proprio arbitrio, aut voluntate, sed omnia ex obedientia fiant. Siquidem etiam parvum, sed ex obedientia factum opus longè coram DEO pretiosius, & Religioso magis meritorum est, quàm aliud quoddam sublimissimum virtuti: opus ex proprio beneplacito, aut voluntate factum. Ratio hujus notissima est, ut adeò eam hic adducere non sit necessarium.

Quando Superior seriò aliquid imperat, subditus tamen illud non exequitur, vel quia suum proprium sentire voluntati Superioris pertinaciter anteponit, nec suam vult inflectere cervicem, vel quia in Superiorem exarcebatus, honorem illi, ac gaudium per executionem operis imperati exhibere detrectat, talis, inquam, graviter peccat. Qui autem imperata facit, sed cum tristitia, aut quasi invitus, existimans Superiorem in hoc casu non benè prudenter agere, nec talia imperare debere &c. hujusmodi Religiosus meliora non exspectet, quàm illa, quæ S. Benedictus ad finem cap. 5. comminatur. Ad veram, meritoriam obedientiam requiritur abnegatio & derelictio proprij judicij, una cum since-

râ, ac promptissima voluntate. Tandem, si quid (etiam leve) imperatum, aut prohibitum fuerit *sub virtute sanctæ obedientiæ*, Religiosus ipso opere demonstrare debet, se esse personam votô obedientiæ obligatam; si ergo in hoc casu vel imperata non exequitur, vel prohibita non vitat, votifragus efficitur, ac mortaliter delingvit. Avertat DEUS ab unoquoque Religioso lapsum adeò fatalem. Hæc breviter de hoc essentiali voto.

Votum Stabilitatis.

VOtum istud non est essentiale, seu substantiale & commune omnibus ordinibus, sed illorum duntaxat, particulare votum, qui Regulam S. Benedicti profitentur, (quamvis etiam omnes alij Ordines perseverantiam in vocatione, sinè speciali tamen voto à suis Religiosis exigant) hoc votum sub mortali obligat, ne prædicti Religiosi sub Regula S. Benedicti degentes ullũ alium ordinem ex propria voluntate ingredi (nisi fortè rigidiorem magísque perfectum suô ordine, sed neque hoc sinè speciali Superiorum licentia,) neque locum Professionis ex propria potestate in perpetuum deserere valeant. Præscripsit hoc discipulis suis votum S. Benedictus specialiter ideò, ne sint gyrovagi, aut vagantes, sed ut in vocatione sua,

&

& ſuſceptô Religionis inſtitutô, ac locô profeſſionis perſeveranter DEO ſerviant uſque in finem, niſi neceſſitas, aut mandatum legitimi Superioris aliud exigerent, aut facultas debitô modô obtenta aliud permitteret. Vult proinde S. Pater ne à Magiſterio & doctrina Chriſti diſcedamus, ſed usque ad mortem in Monaſterio perſeveremus (ad finem Prologi) ulteriùs vult (gradu 4. humilitatis) ut ſui Religioſi in rebus etîam duris & contrarijs, vel etiam quibûslibet irrogatîs injuriis tacitâ conſcientiâ patientiam amplectantur, & ſuſtinentes non laſſeſcant, aut diſcedant vel ex loco vel ex ordine, ſed conſtanter perſeverent, quia, *qui perſeveraverit uſque ad in finem, hic ſalvus erit*. Hortatur ipſos ampliùs cap: 4. ut inſtrumenta bonorum operum inceſſabiliter adimpleant: officinam verò ad hoc eſſe elauſtra Monaſterij, & ſtabilitatem in congregatione.

Contra hoc votum graviter quandoque tentantur nonnuli Religioſi, dum illis ſuggerit fallax, & malignus ſpiritus, ſe in hoc, vel illo loco, in hoc, vel illo Monaſterio majori quiete DEO ſervire, talenta ſua utiliùs impendere, item homines magìs cultos ac benè moratos invenire poſſe, &c. propter quod nonnunquàm in anxias, inquietas, ac periculoſas cogitationes incidunt, & & aqud ſeipſos inquirunt ponderoſas ratio-

nes

nes ac media, quomodò Ordinem, aut saltem locum mutare, discedere, atque ita personas sibi contrarias, aut ingratum Superiorem derelinquere possint. Hujusmodi tantoperè impugnatæ animæ scire debent primò, se in periculo fore, ne fiant votifragæ, si talibus otiosis cogitationibus apud seipsas assensum præberent, etiamsi has posteà ipso opere non complerent. Sicut etiam plerumq; fit, ut hoc internum, certamen, ubi unô vel alterô die duravit, tandem cesset, & aliquis gaudeat, se domi manere posse. Tales eodem modo interrogare quis posset, quô Christus suos discipulos: *numquid & vos vultis abire?* Joan. 6. Sed omninò cum veritate respondebunt: *Domine bonum est, nos hîc esse*. Secundò, cogitet talis Religiosus, quòdsi aliorsùm migrare vellet, seipsum, ac innumerabiles imperfectiones suas, una cum propriâ miseriâ secumferret, neque ullibi meros Angelos, sed ubique locorum fragiles homines suis moribus, aut Naturæ contrarios inventurus esset. Sedeat igitur tranquillus, DEOq; serviat in illlo Ordine, ac loco, quem post tam morosam deliberationem elegit, quemquè illi DEUS ab æterno, ut arenam certaminis destinavit, tamque Paternè ad illum locum vocavit, ac direxit.

Discat Religiosus veram stabilitatem ab ipso JESU. Sciebat ille, quàm inclemen-

ter in horto Gethſemani tractandus eſſet, nec tamen è loco diſceſſit. Potuiſſet ſe à tam horrendis doloribus, ignominiîs, & opprobriîs, deſolatiſſimam Matrem ſuam & lachrymantes amicos à tantâ afflictione liberare, ſi modò à cruce deſcendere voluiſſet: ſed perſeveravit in illa conſtans usque ad mortem. Cur ergò Religioſus ex adeò levì cauſa à propoſito reſiliat? tertiò: mutatio loci aut ordinis raró aliquid boni ſecum fert. Vivebat S. Bernardus cum Monachis ſuis in magno Rigore & Sanctitate, quare multi etiam ex alijs Monaſterijs ad ipſum transmigrârunt, ſed pauci evaſerunt ſancti. Conqueritur de hoc ipſemet ſequentibûs verbîs: ſcio, quosdam ex alijs ordinibus & congregationibus ad noſtrum ordinem tranſijſſe; pulsârunt, & ingreſſi ſunt. Sed per hoc & ſuis reliquerunt ſcandalum, & nobîs quoquè attulerunt. Quantùm ſuos temerariâ diſceſſione ſuâ, tantùm & nos miſerabili converſatione ſuâ afflixerunt. Nam ſuperbè contempſerunt ea, quæ actu jam habebant, & temerè præſumpsêrunt, quod non valebant. &c. Hucusque juſta querela hujus S. Patris quoad ſubſtantiam, in Apolog. ad Guilielm. Abb. non invenientur, qui hac permutatione meliores effecti ſunt. Maneamus ergo in illo Apoſtolico dicto S. Pauli 1. Cor. 7, ut unusquisque in

eo statu permaneat, ad quem vocatus est. Nullus utique Religiosus audebit asserere, se ab alio in hunc ordinem, in hanc congregationem, in hunc locum vocatum esse, quàm à DEO.

Quartò: promissa stabilitas excludit, ut dictum est, vagantes, seù Gyrovagos, & requirit, ut Religiosus libenter, & invitus sit in Monasterio. Verba S. Patris sunt hæc: Sciens (Professus) quòd ei ex illa die (Professionis suæ) non liceat de Monasterio egredi. &c. cap. 58. Sunt Religiosi, qui nequeunt cum veritate dicere: *Ecce, nos reliquimus omnia*. Potissimæ cogitationes & desideria eorum in eo sunt, quomodò Parentes, fratres, sorores, cognatos, & notos visitare possint. Hinc valde molestè instant, & fatigant Superiores, ut talem licentiam extorqueant. Isti exemplo sibi ducant Juvenem illum Monachum à DEO subitaneâ morte punitum; cujus corpus sepultum ne terra quidem retinere potuit, sed iteratis vicibûs ejecit, quia inordinatô appetitu, & sinè licentia S. Patris Benedicti Parentes suos visitavit. Item illum Monachum, qui post molestas instantias & petitiones egrediendi è Monasterio, tandem à S. Patre cum indignatione jussus est abire, quem mox ut egressus est, horribilis draco hiante rictu invasit. &c. ut describit sanctus ac magnus

Ec-

Ecclesiæ Doctor Gregorius. Notandum etiam de hoc posteriori Religioso, S. Benedictum non promptâ voluntate, sed solùm cum fastidio permisisse huic inquieto Monacho discessionem ex cænobio, quæ tamen permissio non reddidit illum coram DEO securum, uti demonstravit eventus. Similî modô hodiedùm etiam frequenter contingit, ut Superior tandem aliquid permittat, aut dissimulet, quamvis illibenter, quod promptâ voluntate nunquàm concederet, nisi majus aliquod malum ex data repulsa secuturum timeret. Sed qui tam importunè & violenter extorquent licentias, non sunt securi in conscientia sua. Concessio, non sola permissio Superioris securitatem præstat subditis. Hoc punctum benè notandum est.

Votum Conversionis Morum.

OMnes quidem Sacræ Religionis Ordines Conversionem morum exigunt, sinè tamen speciali voto. Ad illos proinde spectat hoc votum, qui DEO sub Regula S. Benedicti famulantur, & obligat illos sub mortali, ut scandalosos mores sæculi, malas ac peccaminosas consuetudines deponant, atque sub habitu Religioso vitam etiam Religiosam ducant. Tanti fecit S. Pater hanc morum conversionem, ut ordinem suum nō

unâ

unâ solùm vice, & specialiter c. 58. & 63. conversionem nominet. Superiùs jam insinuatum est, S. Benedictum hôc votô excludere hypocrytas Sarabaitas, & hujúsmodi perversos Religiosos, habitum quidem sacrum portantes, sed adhuc operibûs servantes sæculo fidem. Vî hujus voti Religiosus non tantùm gravia peccata ac vitia (à quibus etiam mundani se debent convertere) sed imperfectos Religiosum statum non decentes mores à se abdicare debet. Potèstque in Religioso (una cum gravi peccato ac scandalo) etiam transgressio voti esse, quod in homine sæculari tantùm levitas reputatur: utì esset, si Religiosus vellet ludere, saltare, compotationibus interesse, publicum histrionem agere, indecentes jocos, ac sales miscere, &c. equidem non dico, ad quamlibet hujusmodi levitatem commissam statim mortalem transgressionem voti resultare, sed si Religiosus hîs malîs moribûs infectus emendare se nollet, quin potiùs deliberatè in illis perseverare vellet. Religiosus militans sub Regula S. Benedicti, vì hujus voti minores etiam imperfectiones emendare tenetur, quæ quidem ex natura sua venialem malitiam non excedunt, communitati tamen graves ac onerosæ sunt, utì esset, si garrulitate suâ, ac rixis, importunîs & non necessariis hinc inde discursionibûs, superfluô cibô & potu, murmurationibûs,

nibûs, continuís in divino officio erroribûs, &c. toti communitati molestus esset, idque non paucìs duntaxat vicibûs, & ex humanâ fragilitate, sed quasi pertinaciter, sinè ullo discreto studio se emendandi. &c. An talis suo voto de conversione morum satisfaciat, quilibet cordatus Religiosus ultrò judicet. Quod me concernit, arbitror, hujusmodi hominem in manifesto versari periculo gravis transgressionis voti præter peccata illa, quæ ad similes crassissimos defectus consequuntur. Ille autem Religiosus, qui quidem ex fragilitate in pristinas veniales imperfectiones relabitur, sed tamen habet displicentiam super illis, bonámque voluntatem, se magis ac magís successivè emendandi, discretum etiam (sinè anxietate) ad hoc conatum adhibet, præscriptam temporis distributionem servat, diligenter examinat conscientiam suam, &c. talis, inquam, est extra periculum gravis peccati contra votum. De cætero scriptura dicit: *convertimini ad me in toto corde Vestro.* Joel. 2. Quô dicitur, conversionem morum ex toto corde fieri debere. Apostoli Christi venialem tantummodò ambitionem admiserant, & tamen à Christo notabilibûs hisce verbîs correpti sunt: *Amen dico vobis; nisi conversi fueritis, - - - non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Matth. 18. Seria utique promissio est, dum Novus Religiosus stans ante altare dicit: *promitto coram DEO conversionem*

morum meorum. Et timeo ſane, plurimos hujuſmodi Religioſos gravius experturos judicium, unquàm crediddiſſent. hucuſque de quinque votis.

ANIMADVERSIO
Super Caput Secundum.
Qualis debeat eße Abbas?

QUoniam tota proſperitas & incrementum Monaſterii tam in Spiritualibus, quàm temporalibus dependet à bonis & diſcretis Superioribus, inde venit, quòd Spiritus Sanctus per exemplũ & doctrinam S. Patris Benedicti tam nobilia, ſalutaria, ac fundamentalia cunctis Superioribus documenta præſcripſerit (in hôc præſertim, & 64. capite) ut iis obſervatîs non ipſi modò, ſed & eorum ſubditi per viam pacis ad æterna gaudia infallibiliter ſint perventuri. Religioſi quidem privati Capitulum iſtud Superioribus ſuis legendum atquè ſervandum relinquant, nonnunquàam tamen & ipſi legant, unáque ſequentia puncta advertant: *Primò*: legendô hôc capitulum, ad ſingula puncta non examinent ſecum, an Superior ipſorum hoc aut illud obſervet, nec ne. DEUS hæc omnia judicabit, prout S. Benedictus hôc locô & per totam Regulam tam frequenter inſinuat. *Secundò*: Cùm S. Pater in iſto capi-

tulo

tulo doceat, Abbatem Christi vices agere, oportet, ut illum subditi venerentur, ament, timeant, eique obediant sicut Christo. Magnum proinde periculum est illorum, qui erga Superiorem suum irreverentes, murmurosi, aut inobedientes sunt, talibus enim ita comminatur S. Benedictus: inobedientibus hujusmodi ovibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. *Tertiò*: quidam Religiosi magis considerare deberent verba illa S. Patris, cùm dicit: *Non præferatur ingenuus ex servitio convertenti* (seu nobilis ignobili) *quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus, quia non est personarum acceptio apud DEUM: solummodò in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis, & humiles inveniamur.* Hanc Sacram, immò divinam doctrinam nonnulli Religiosi graviter transgrediuntur, dum Nobiles, aut illos, qui plura temporalia bona Monasterio intulerunt, magnifaciunt, venerantur, & amant, ignobiles autem, & qui minus de temporalibûs secum attulerunt, vel prorsùs non, vel saltem minus amant, aut fortè omninò contemnunt. Hi adhuc fætent secundùm sæculum JESUS, MARIA & JOSEPH è Regia stirpè descendebant, & nihilominùs pauperem ac ignobilibus communem vitam ducere volebant. Petrus, Andreas, Jacobus, & Joannes non affluebant temporalibûs, nec multa

reliquerunt, non tamen propterea in domo Christi minùs æstimati, minúsque fuerunt amati. Scies, haud dubiè, quid hîc insinuare velim. *Quartò* vult S. Pater, ut Abbas non semper *pium Patris*, sed quandò res ita exigit, nonnunquàm etiam *dirum Magistri ostendat affectum.* Proinde subditi non debent appetere, tanquàm infantes semper nutriri lacte lenitatis, sed potiùs sicut strenui pugiles duriora quandòque perpeti addiscant. *Quintò*: considerandô, *quàm difficilem & arduum rem* susceperit Superior, ut *multorum* debeat *servire moribus*, subditi filialem erga ipsum compassionem habeant, Deúmque fideliter orent, ut si benè fungitur suô regimine, in bono perseverare valeat, si autem in hoc deficit, ut DEUS illi bonum spiritum largiatur, quatenùs errata sua agnoscere, ac emendare valeat. Hoc longè plus efficiet omnî murmuratione, ac frustraneîs querelîs apud illos, qui mederi non possunt.

ANIMADVERSIO
Super Caput Tertium.
De adhibendis ad Consilium Fratribus.

TExtus hujus Capitis magnam habet claritatem, ac utilitatem. Si Conventus Religiosus post seriam & humilem invocationem Spiritûs Sancti de aliquibus rebus consultare, dici-


decidere, pertractare, vult aut & Capitulares, quilibet mentem suam sinè passione, humiliter, & cum modestia edisserant, reliquum committentes DEO ac Superioribus, quidquid deinde ex plurium vocibus sequatur, aut eveniat; ubi, inquam, talî modô res agitur, malum eventum sortiri nequit. Si autem aliquis uni parti nimiùm adhæreat, suámque sententiam pertinaciter defendere, atque ità temerariè aliorum opinionibûs Superior esse voluerit, talis sibi ipsi magnam conciliabit inquietudinem, Dominum DEUM offendet, alios scandalizabit, magnasque in communitate animorum diffidentias, ac deplorandas suscitabit discordias. Talibus in aurem dici potest: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*! Matth: 18. S. Pater in hoc Capitulo clarè docet, & vult, ut nullus proprii cordis sequatur voluntatem. Libenter cedere, meritorium est: acquiescere bonum est, & securitatem affert conscientiæ. Ambigua negotia DEO, Superioribus, totique communitati relinquere, signum est mortificati ac sapientis animi.

ANIMADVERSIO
Super Caput quartum.
Quæ sint Instrumenta bonorum Operum?

SAnctus Pater Benedictus suos in Spiritu filios

filios præprimis bonos vult esse Christianos, & tunc de die in diem ad vitæ spiritualis perfectionem progredi. Quapropter in hoc capitulo proponit ipsis decem præcepta Decalogi: cavendum monet à gravibus peccatis ex recordatione quatuor novissimorum; docet ipsos exercere corporalia ac spiritualia opera Misericordiæ: hortatur, à minoribus etiam imperfectionibus desistere: manuducit illos ad veram perfectámque charitatem DEI & Proximi: æterna gaudia promittit illis, qui hæc instrumenta die noctúque incessabiliter adimpleverint. Sensus litteralis clarus est.

Laudabilis est illa quorundam Religiosorum consvetudo, dum sibi per singulos dies unum ex his instrumentis specialiter servandum proponunt; scribunt in seperatas schedulas omnia septuaginta tria instrumenta: has dein schedulas includunt scriniolo, & post matutinum sorte extrahunt unam, quæ ipsis obtigerit, ac per diem solerter incumbunt ad observationem illius instrumenti. Hoc exercitium est admodùm salutare; si placet, experire: sin minùs, aliàs saltem hoc capitulum tibi curæ sit, ne tam paterna S. Patris instructio in te suo fructu careat.



ANI-

ANIMADVERSIO
Super Caput quintum.
De Obedientia.

Mirari fortè possent simpliciores Religiosi, cur S. Benedictus hôc locô primum humilitatis gradum dicat esse obedientiam, cùm tamen nec secundus, nec tertius gradus sequatur. Imò ipse S. Pater sequenti capite septimô primum humilitatis gradum ait esse timorem DEI. Sciendum ergo, quòd hîc primus gradus idem significet, ac præcipuus.

Notandum insuper, S. Benedictum docere, quòd ubi est obedientia, ibi & charitas Christi inveniatur, & quòd obediens angustam, sed securam ad cœlum viam arripiat. Sic proinde concludendum est; ergo ubi non est obedientia, ibi nec charitas Christi est, nec ad cœlum itur: sed potiùs ibi est superbia &c.

Vult etiam S. Pater, ut ubi aliquid imperatum à majore fuerit, ac si divinitùs imperetur, moram pati nesciamus in faciendo. Si JESUS immediatè per seipsum tibi aliquid imperare dignaretur, ô quanta cum Reverentia imperium istud acceptares, quàm seriò in opus deduceres?

Tandem asserit S. Benedictus, quòd veri

Religiosi Abbatem sibi præesse desiderent, seu optent semper esse sub obedientiæ jugo: sed tepidi ac languidi Religiosi gaudent, quando extra conspectum Superiorum se esse vident. De voto obedientiæ plura superiùs dixi.

ANIMADVERSIO
Supra Caput sextum.
De Taciturnitate.

CApitulum istud, licèt tanti momenti sit, non ab omnibus Religiosis observatur, sed non absque evidenti ac magno periculo. Dicit enim S. Jacobus: *Si quis putat se Religiosum* (verùm Christianum, ac DEI servum) *esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio.* Jacobi 1. Talis ergo nec verus Christianus est, & multo minùs verus Religiosus: quid ergo? Amantissimus Salvator noster seriò nos præmonet Matthæi 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationē de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Hoc idem docet nos hôc locô S. Benedictus, ex ipsa S. Scriptura asserens, quòd mors & vita in manibus linguæ sit. Et etiamsi omnia hæc divina veritas sint, quosdam nihilominùs Religiosos videre est, qui hoc non curant, nec sibi cordi

ducunt,

ducunt, si inutili multiloquiô tempus terant. Et licèt sæpè verbis suis alios contristent, calumnientur, scandalizent, &c. non tamen anguntur, neque se examinant super hoc, neque etiam confitentur: sed, ô quàm timendum de talibus! si placet consilium meum, assume aliquo tempore pro materia quotidiani examinis particularis, quomodò lingua tua constituta sit, ne in periculum animæ tuæ incidas.

Et si addiscere cupis, quibûsnam gradibûs ad tam excellentem virtutem S. Silentii perveniatur; insinuat hoc breviter S. Pater Benedictus tàm in isto, quàm in aliis capitulis tali modô: *Primò*: abstinendum tibi est à malis verbis; uti sunt verba aculeata, impatientia; murmurosa, litigiosa, ambitiosa, detractoria; item sermones leves, ac nugæ sæculares (de impuris, aut magis scandalozis nil memorare volo) *Secundò*: si cum Superiore loqui velis, facias id cum reverentia, & paucîs verbîs. *Tertiò*: tam parcus sis in loquendo, quantum possibile est. *Quartò*: si autem loquendum tibi est, non fiat hoc altâ voce, neque verbîs pomposîs, sed mansuetîs, modestîs, ac rationalibûs. *Quintò*: ut propter taciturnitatis gravitatem etiam in bonis & Sanctis ad ædificationem eloquiis nonnunquàm te modereris.

JESUS triginta annîs in mero propemodùm

dùm silentio vixit. In sacro etiam Evangelio non invenimus, MARIAM ampliùs quam septies locutam fuisse. De Sancto JOSEPHO omnino ne verbum quidem legimus. O quàm dulciter aliquandò laudabunt DEUM in cœlo linguæ illæ, quæ in hac terra se ad alium usum moveri vel audiri non sunt passæ, nisi in laudem & obsequium DEI, & in necessitate.

ANIMADVERSIO
Super conclusionem Capitis sexti.

CONcludit hoc Capitulum S. Pater Benedictus verbis admodùm severis ac considerationе dignis, quæ ita sonant: scurrilitates verò, vel verba otiosa & risum moventia æternâ clausurâ in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

Hæc seria S. Benedicti voluntas & imperium graves & anxias in nonnulis Religiosis cogitationes excitat. Disputant illi, & quærunt, an ergo nunquàm licitum sit, aliqua animi exhilaratione frui? an neque tempore permissæ recreationis? an neque in phlebothomia? &c. Sincerè fateor, difficile mihi accidere ut meam in hoc puncto mentem declarem, idque ex justo timore, ne fortè quidquam mihi veniat in calamum, quod S. Patri di-

spli-

ſpliceret. Ex filiali tamen confidentia in ejus Sanctam, & ſummè laudatam diſcretionem, humillimâ Reverentiâ me illi ſubmittens, hæc ſequentia deſuper notanda propono.

Primò: verba S. Scripturæ ad riſum & per modum recreationis jocosè applicare, grave, immò facilè mortale peccatum eſt, quod tamen quidam temerarii, etiam Religioſi, non benè advertunt. Sed opus omninò eſt, ut altè hoc ſibi imprimant, & cordi inſculpant non tantùm hujuſmodi irreligioſi blatterones, ſed & illi, qui cum riſu & complacentia impios hoſce ſermones auſcultant. *Secundò*: dantur quædam verba & diſcurſus, in ſeipſis quidem non multùm utiles, ſed potiùs jocoſi, non neceſſarii, aut ridiculi; in certis tamen caſibus & circumſtantiis ſine peccato, imò cum merito etiam à Religioſis uſurpari poſſunt; utì v. g. ſi quis vehementem aliquam contentionem, aut aliud ſcandaloſum colloquiũ narratione alicujus ridiculi facti, vel joci interrumpere, aut impedire velit. Item ſi aliquis valde afflictus, melancholicus, aut ægrotus jucundîs & ridiculîs (ſed tamen honeſtîs) verbîs exhilarandus eſt. In his & ſimilibus caſibus tales diſcretì joci, ac verba ridicula non ſunt pro illicitis aut peccaminoſis habenda, tunc ſiquidem ex S. Intentione, verâ charitate, & aliqua etiam neceſſitate promanant.

Perſæpè etiam fit, ut Religioſus inopinatò

natò in bonum aliquem amicum incidat; si autem hunc (pro circumstantiis temporis, & voluntate Superiorum) salutare, aut colloqui cum ipso nollet, aliter fieri non posset, quàm ut alterum per hoc scandalizaret, contristaret, aut in suspicionem conjiceret, quasi malè erga ipsum affectus esset; proinde & mutua confidentia, & charitas læderetur. Ne igitur hoc eveniat, loquitur cum ipso eô meliorî modô, quô potest, & prout ipsi in mentem venit: intercurrunt autem multa non necessaria verba & complementa, quia non habet aliquid magni momenti, aut necessariũ, quod loquatur. Nihilominùs hujusmodi verba non audeo pro inutilibus, aut vituperiô dignis habere, cùm proferantur ex bona intentione ad conservandam debitam confidentiam mutuámque charitatem.

Prætereà certis horîs conceditur Religiosis ad conservationem sanitatis recreatio aliqua, (quamquàm ego in tota Regula nihil de ulla recreatione inveniam) quæ specialiter illis quandòque est necessaria, qui multis occupationibûs cerebrum fatigantibûs distenti sunt. Si autem Religiosus in tali communi conversatione non vellet quidquam loqui, certè aliis molestus foret, ansámque daret credendi, quòd malè contentus, passionatus, aut murmurosus sit; proinde in aliis magnam displicentiam, tædium, indignationem causaret.

ret. Ergo prout occasio petit, etiam loquitur. Et licèt talia ipsius verba in se appareant non necessaria, otiosa, vel inutilia, immò quandoque etiam ridicula sint, existimo tamen illa esse bona, nec S. Regulæ contraria, quia finis, ob quem proferuntur, videlicet charitatis conservatio, valde bonus est.

Quidam econtra dissoluti Religiosi directè agunt contra seriam prohibitionem S. Benedicti, & magnoperè peccant, qui ex nugis & jocis quasi mercaturam faciunt, ingeniosè etiam speculantur, quomodò semper fabulis, & histrionicis verbis benè instructi esse possint: nulli loco aut tempori parcunt, nullam personam verentur, hominesque simplices non unâ tantùm vice scandalizant. Insuper etiam non ducunt sibi conscientiæ, verba inhonesta, pungentia, impudica proferre, quæ etiam homo sæcularis loqui non auderet. Imò nonnunquàm sub ipso divino officio clandestinas tractant nugas aliósque ad risum movent. Et ne quidem sacri silentii curam habent. Verbô: Quicunque ipsos aspicit, ridere debet. Magno insuper sibi honori ducunt, si ubique de ipsis prædicetur, quòd omnibûs numeris absoluti nugones sint. Egregia profectò laus personæ Religiosæ! intereà manet irrevocabilis Christi sententia, quòd tales & omnes de quocunque verbo otioso rationem reddent in die judicii. Quomodò ergo tunc subsistent? timeo

timeo, ne quidam eorum pro blasphemis habendi & puniendi sint. Sanctus Bernardus ait: consecrâsti os tuum Evangelio: aperire illud jocis, illicitum: assuescere sacrilegium est. Alibi dicit, nugas in ore sæcularium nugas esse, in ore autem Religiosi blasphemias. Proinde hi duo Sancti Patres, Benedictus & Bernardus admodùm strictè hac in materia sentiunt, atque loquuntur.

Sed percipe tremendam historiam, quomodò DEUS hujusmodi effrænes & incautas lingvas puniat in altero sæculo. Vincentius Belluacensis celebris Historicus lib: 26. c. 5. narrat, virum quendam simplicem, Duramum de Predon, primò Monachum, posteà Abbatem, tandem etiam Episcopum Tolosanum evasisse. Hic aliàs prudentissimus, pius, ac zelosus Prælatus hôc vitiô laborat, qvòd sæpè verba ridicula proferre consveverit. Et quia post repetitas dehortationes Hugonis Abbatis Cluniacensis emendare se noluit, apparuit post mortem Capellano Siguino, exhibens illi os suum fædis pustulis deformatum, ab eôque enixissimè rogavit auxilium. Tandem indictô ab Hugone septem Religiosis quatuordecim dierum silentiô, liberatus fuit. Avertat à nobis DEUS tam terribilem pœnam in altero sæculo.

Manet ergo verum, DEO summè displicere, S. Regulæ contrarium, & Religioso admo-

admodùm perniciosum esse, tot verba otiosa, ridicula, aut alias inutilia proferre. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi non liceret Religioso, quandóque amicabile ac recreativum colloquium instituere, ad conservandum valetudinem, aut charitatem fraternam, &c. Docet enim S. Bonaventura: exhibe te cuilibet amicabilem, obsequiosum, ac serenum, sed absque dissolutione.

ANIMADVERSIO
Super Caput Septimum.
De Humiltate.

SAnctus Bendictus ex singulari instinctu Spiritûs Sancti tam præclarè ac luculenter scripsit de virtute humilitatis DEO tam acceptæ, quia in lumine prophetico, & per Divinam revelationem præcognovit, multos ex suo ordine ad sublimes dignitatum apices, videlicet ad Episcopales, Cardinalitios, imò Summi Pontificatûs honores elevandos esse; præterquàm, quòd in ipso etiam Ordine diversi statuum, ac officiorũ gradus reperiantur, scilicet Principum, Prælatorum, Præpositorum, Decanorum, Priorum, Subpriorum, Cellerariorum, &c. ne ergo vel Isti se extollerent, vel privati Religiosi honores ambitiosè quærerent, sed potiùs juxta gradum sextum hu-

humilitatis ad hujusmodi officia operarios malos & indignos se judicarent, hinc tam seriò, & amplè S. Pater ipsis humilitatem commendat, sinè qua coram DEO cætera omnia nullius sunt pretii. Docet autem S. Benedictus veram in & externam humilitatem non tantùm verbis, sed opere. Nunquid enim admiranda est humilitas, dum hic à DEO tot provilegiis auctus, tot prodigiis glorificatus vir in hac sua Regula seipsum inter desidiosos, & malè viventes, atque negligentes annumerat, idque publicô librô usque ad finem mundi coram omnibus fatetur? uti videre est capite 73. & ultimô. Si quis me aut te proclamaret tepidum, desidiosum, male viventem, atque negligentem, quomodò excandescere mus? ergo nondum sumus humiles, sed oportet, ut discamus esse, in quo quidem usque ad finem vitæ nostræ discendum erit: si autem tunc verè humiles inveniamur, à damnatione securi erimus: nullus enim humilis in infernum descendit, nullus superbus ascendit in cœlum. Christus amator est humilium, diabolus verò Rex superborum. Cujúsnam partes tu sequeris?

Humilis Pater Benedictus duodecim gradus humilitatis ex doctrina S. Pinuphij, qui unus erat ex antiquis Patribus, Regulæ suæ inseruit, eósque adductis congruis textibûs S. Scripturæ mirificè exornavit: Cùm autem per

hoc

hoc nonnihil longiores facti ſint, ideò quidã ſimplices & juniores Religioſi non advertunt, in quo conſiſtat medulla horum 12. graduum: quapropter appono illos ſuccinctis verbis, ut faciliùs memoriæ imprimi & nonnunquàm etiam pro ſpeculo ſervire valeant, ut quis videat, quouſque in humilitate profecerit.

Primus gradus: DEUM omnia inſpicientem ex toto corde timere.

2. Propriam voluntatem derelinquere, aliorum judicium ſequi, & deſideriis ſuis non adhærere.

3. Superioribus ad minimum nutum perfectiſſimè obedire.

4. Sub jugo & difficultatibus obedientiæ non laſſeſcere, aut tædium concipere, ſed in illa uſque ad mortem perſeverare.

5. Peccata ſua per humilem confeſſionem delere, & culpam ſuam libenter fateri Superioribus.

6. Contentum eſſe infimò locô, viliorî cibô, potu, veſtitu, cellâ, &c. & ad omne officium ſe inutilem judicare.

7. Non ſolùm linguâ pronuntiare, ſed etiam intimô cordis affectu credere, ſe inter omnes homines viliſſimum & infimum eſſe. Quàm ſublimis hic gradus!

8. Secundùm communem Regulam & Ordinem temporis vivere, nec extraordinaria opera publicè (præſertim ſinè licentia) peragere.

9. Libenter tacere usque ad interrogationem.

10. Non esse promptum ad risus dissolutos.

11. Pauca, rationabilia, & modesta verba proferre, sinè clamore, pompâ, aut cachinno.

12. In omnibus gestibus, in omni loco demissîs oculîs, & inclinatô capite veram humilitatem omnibus testatam facere.

Multa bona S. Benedictus illis promittit, qui se in his gradibus studiosè exercuerint. Quò humilior hîc fueris, eò altior ibi eris. Hoc principium non fallit. Consultum est, ut Religiosus semel saltem in hebdomada hos gradus brevî consideratione pertranseat, & ad quemlibet videat, an illum assecutus sit. O humilitas, virtus Christi, quando corda nostra penitùs occupabis?

ANIMADVERSIO
Super Capita 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.
De tempore & ordine divini officii, sive septem horarum canonicarum.

Ex omnibus Regulæ capitibus hæc undecim supra posita vix non perfectissimè observantur, quandoquidem dispositio Psalmorum, hymnorum, lectionum, &c. à S. Benedicto ordinata in breviario quàm exactissimè contine-

tinetur. Et licèt in aliquibus diebus frequentiùs decantetur Alleluja, aut etiam in uno, vel alio loco fortaſsè aliquam diverſitatem reperire ſit, id tamen Regulæ contrarium non eſt, cùm Ipſe S. Pater cap: 18. expreſsè concedat, ut ſi hæc diſpoſitio Pſalmorum fortè diſplicuerit, Superiores illam mutare poſſint.

Ulteriùs inſuper notandum eſt 1. quod concernit tempus & horas, quibûs Religioſi ad Matutinum ſurgere, aut aliis horis canonicis vacare debent, inferiùs explicabitur, ad caput 48. de diſtributione temporis diurni. 2. S. Benedictus *Laudes* appellat *Matutinas*, Nocturnas autem vocat *Nocturnam laudem*, aut *opus DEI*. Modernô tempore Nocturni una cum laudibus Matutinum appellantur. 3. In Regula quilibet hymnus *Ambroſianum* vocatur, quia hymni feriales à S. Ambroſio fuerunt compoſiti. 4. Cùm S. P. bis admoneat, ut ad *Gloria Patri*, quod ad finem ultimi Reſponſorii cantatur, omnes cum reverentia ſurgant ob honorem SS. TRINITATIS, conveniens eſſe videtur, ne ſedilia cum indecenti ſtrepitu moveantur, ſed primùm finitô *Gloria Patri* modeſtè complicentur. 5. Dicit Regula, quòd in choro aliqua capitula, aut lectiones breves memoriter (*ex corde*) ſinè libro dicantur, quod tamen Regulare ſtatutum non eſt. Quare illi, qui ſuæ memoriæ non fidunt, omninò illas ex libro legere poſſunt, ne aliqua confu-

sio suboriatur. 6. Ex præcepto S. Benedicti Sacrosanctum *Pater noster* bis de die clarâ voce integrè cantandum, aut dicendum est, ut si fortè inter unum & alterum Religiosum indignatio aliqua, cogitationes amarulentæ, vel etiam dissensiones exortæ fuerint, audiendô illam seriam petitionem: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c.* revertantur in seipsos, omnemq; amaritudinem deponant. Sed deplorandum, immò tremendum est, quòd multi ex Religiosis penitùs negligant, & sæpiùs longo tempore in hujusmodi acerbis & vindicativis cogitationibus perseverent; proinde dum DEUM orant, ipsimet in causa sunt, quòd veniam à DEO non obtineant, sicut nec ipsi proximis suis ignoscunt &c. 7. S. Pater, dum horas canonicas recenset, primô locô tantùm laudes ponit, hodie autem annumerantur etiam Nocturni. 8. A tempore S. Benedicti Ecclesia præter horas canonicas ordinavit insuper alias preces publicas, quales sunt: cursus B. V. officium defunctorum, Psalmi Pœnitentiales & graduales &c. Sperandum omninò est, quòd per plures hujusmodi orationes, si cum bona voluntate, ac devotione peragantur, nonnulli defectus quoad observationem Regularium statutorum apud DEUM ex parte resarciantur. 9. Ubi in Latinis Regulæ exemplaribus sæpiùs repetitur: *& missæ sunt*, juxta communem interpretum

hîc

hîc ſenſus eſt: *& ſic finiatur divinum officium, ſeu quælibet hora canonica.*

ANIMADVERSIO
De Cantu Eccleſiaſtico.

SAnctus Benedictus varias partes divini officii cantari jubet, nimirùm Pſalmum *venite, exultemus*, Reſponſoria in nocturnis, & alia, prout in Regula videre eſt: concedit tamen, quòd ſi congregatio parva eſt, minores horæ ſinè cantu celebrari poſſint.

Videtur, quòd tempore S. Patris Religioſi ipſius etiam Sacroſanctum Miſſæ officium cantaverint; nam in Regula, cap: 60. ordinat, ut Sacerdoti in Monaſterium ſuſcepto concedatur poſt Abbatem ſtare, benedicere, &, (ut habent aliqua exemplaria) miſſas canere. Quàm devotus, ſimplex, & licèt parùm artificialis, ſummoperè tamen DEO acceptus fuerit Cantus Primorum Patrum Ordinis noſtri, facilè poteſt expendi. Ipſorum muſicam illi comparandam eſſe arbitror, cujus uſum habent venerabiles PP. Cartuſiani.

De cætero cantus Eccleſiaſticus jam diu ante tempora S. Benedicti in uſu fuit, teſtaturque S. Auguſtinus, ſe audiendô lacrymas continere non potuiſſe. Scribit inſuper, arbitrari ſe *pœnaliter* peccâſe, ſi à naturali ſvavitate melodiæ abductus, in illa potiùs, quàm

in attentione ad S. Textum moratus ac delectatus fuisset. Notabilis planè sententia tam Sancti Patris atque Doctoris, quam nimii musicæ amatores meritò observent, sibique ex illa metuant.

Cùm modernô tempore musica in Nostris Provinciis in omnibus penè Monasteriis introducta sit, (Cassinensis Congregatio, & quædam alia Monasteria illius usum non habent, nisi in hebdomada majori apud Sancti Sepulchrũ, idque perextraneos cantores) ideò non est improbanda, nec in dubium vocanda. Cúmque Guido Abbas Ordinis S. Benedicti notas illas musicales: ut, re, mi, fa, sol, la, primus invenerit, clarum videtur, Religiosos nostros jam longo tempore musicæ notitiam habuisse. Hæc omnia multùm declarari non indigerent, si modò aliqui abusus non subintrarent, nec in aliquibus locis tantam temporis consumeretur in addiscenda & practicandâ musicâ, ut studia & aliæ magis necessariæ occupationes damnum pati debeant.

Oporteret insuper, ut major nonunquàm selectus haberetur. Sunt aliqua instrumenta musicalia, nec non cantilenæ, quæ plus conveniunt sæcularibus, quàm Religiosis. Dantur harmoniæ magis ad theatrum, vel recreationem, quàm ad Ecclesiam (præsertim Religiosorum) pertinentes. Reperiuntur nunc homines curiosissimi ingenii, qui componunt

melo-

melodias & cantus sinè ulla bona aut Sancta intentione, ut DEUS per hoc glorificetur, & audientes ad devotionem excitentur, sed suam propriam duntaxat gloriam quærunt, dummodò rarum aliquid ac novum in publicum proferre possit. Tot insuper falsas svavitates immiscent, ut propemodùm canes ex Ecclesia fugere compellant, adeò neque decor, nec sapor in tali musica invenitur; & nisi adsint cantores omnibûs planè muneris absoluti, errores cumulantur erroribus: tantum abest, ut ædificentur audientes, quod tamen S. Benedictus ita seriò inculcat.

Melius quandoque est, Musicos auscultare, quàm aspicere, & sæpiùs opus esset, ut densa cortina intercederet, ne populus videat, quomodò hic inflandô tubam vultum transformet; ille cum cheli sua ab una parte in alteram se gyrat & regyrat, ut eò elegantiùs modi musicales exprimantur. Alius præparandô instrumentum suum occupatur penè usque ad finem. Prætereà nonnunquàm contingit, quòd ex negligentia non omnia priùs ordinentur ac disponantur, & quando Regens Chori jam deberet tactum incipere, tunc primùm fiunt contentiones expostulationes, discursiones eò quòd libri musicales, primũ debeãt distribui, & unicuique suũ instrumẽtum porrigi; & ubi cantum jam media ex parte oporteret esse finitum, cantores necdum dispositi, nec-

dum in ordine stant. Subitò deinde chorda rumpitur, & novæ discursiones fiunt pro alio instrumento.

Hic jam auditores hiante ore assistunt, parùm, & indevotè orant, nec verificatur illud: *ut ædificentur audientes.* Timendum insuper, ne etiam musici sæpiùs bonæ intentionis obliviscantur. Cæterùm valde metuo, ne ad talem musicam, quæ cum tam exiguo selectu, & discretione fit, olim fletus & ejulatus consequatur, præsertim quando solùm ex intentione placendi hominibus, aut quasi recreationis gratiâ instituitur. Utinam reperiendi non essent, qui cum tædio chorum accedunt, dum solus cantus choralis adhibetur.

Hæc tamen omnia non ita intelligas, velim, lector benigne, quasi DEUS in majoribus solemnitatibus non etiam laudari & honorari possit ac debeat in clangore tubarum, in Psalterio & cithara, in tympano, in chordis & organo, in cymbalis benesonantibus (prout S. David Psal: 150. faciendum hortatur) sed hoc duntaxat insinuo, ut hoc tam providè, discretè, atque decenter fiat, *ut ædificentur audientes*, ut omnis difformitas, confusio, ac distractiones evitentur, præsentes autem ad veram devotionem alliciantur. Huc pertinet etiam historia illa, cujus mentionem faciam infra super caput 66. Regulæ.

Musica benè ordinata planè Angelicum

opus

opus est: DEUM siquidem honorat, Angelos lætificat, eorum, qui cum vera devotione assistunt, animas ac sensus exhilarat, & quidam prægustus est gaudiorum æternorum. S. Bernardus ita loquitur: nihil est, quod in hac terra magis propriè repræsentet statum cœlestis tabernaculi, quàm si DEUS cum jubilo cordis laudatur. Serm; 9. in Cant. talis cantus, talis musica duplici orationi æquivalet. Hoc proprium est omnibus bonam intentionem habentibus musicis. Oppositum autem, de quo priùs mentionem feci, ad illos pertinet, qui suis abusibûs dehonestant artem suam. Ergo, *DEO nostro sit jucunda decoráque laudatio*, talémque in hoc exilio musicam instituamus, ut cum SS. Angelis, Electísque omnibûs digni habeamur ad decantandas DEO nostro laudes sempiternas. Amen. Tu ex his collige, quod tibi fructum & utilitatem afferre potest, Reliqua Superioribus & Chorum Regentibus committe.

ANIMADVERSIO

Super Caput decimum nonum.

De disciplina Psallendi.

QUidam Theologi docent, quòd si Persona Religiosa ad horas canonicas obligata in-

in earundem persolutione debitam externam Reverentiam observet, studeátque omnia benè & articulatè pronunciare, quòd, inquàm, talis obligationi suæ jam satisfecerit, nec mortaliter peccet, etiamsi interim cogitationes distractivas deliberatè admitteret. &c. At verò S. Benedictus hôc locô à suis Religiosis exigit, ut non tantùm cum externa reverentia Horas persolvant, sed etiam cum vera interna devotione, ita, ut mens & cogitationes concordent voci, in quantùm humanæ fragilitati possibile est. Ille, cui sub Psalmodia contra voluntatem suam cogitationes impertinentes recurrunt, sicque ipsi laborem faciunt in resistendo, multùm meretur apud DEUM, & non peccat. Sed de hoc pluribûs agam inferiùs in annexo *spirituali cymbalo*, ad solatium scrupulosorum.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum.
De Reverentia Orationis.

IN præcedenti capitulo S. Pater majori ex parte locutus fuit de publico divino officio. Hic autem præclarè admodùm docet, quomodò etiam privata oratio, quæ neminem obligat, sed cuilibet libera relinquitur, peragi debeat. Rectè & attentè orare, labor

bor est omnî aliô labore major, ad quem omnes animi vires applicari debent; nec potest fragilis natura nostra ordinariè loquendô in hoc exercitio diu perseverare: & ideò vult S. Benedictus, quòd brevis debeat esse, sed pura & devota oratio. Multa sinè attentione deblatterare, non placet DEO & Sanctis ejus, exiguámque homini utilitatem affert. Item, sinè consilio & assensu superiorum aut Patris Spiritualis multas extraordinarias preces assumere, temeritas est, juxta Regulæ caput 49.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum primum, De Decanis Monasterii.

VI hujus Capituli non debent constitui Decani, nisi in illis Monasteriis, ubi major est numerus Monachorum. Cùm igitur in Nostris Provinciis non sint adeò numerosæ congregationes aut conventus, sicut olim, ubi persæpè in uno Monasterio plusquàm ducenti aut trecenti Religiosi vivebant, hinc modò constituuntur Priores, quibus incumbit directio & gubernatio fratrum in spiritualibus, (isti Priores in Monasteriis Principalibus vocantur Decani) item Subpriores, Directores seu Magistri disciplinæ, quos adeò benè in virtute fundatos esse oportet, ut Abbas partem oneris sui securè ipsis communicare possit.

Hi

Hi per verum ſpiritum & zelum Regularis obſervantiæ cæteris Religioſis exemplò ſuô prælucere debent. Maxima ipſis cura ſit, ne ulla ex animabus ſibi commiſſis per ipſorum culpam detrimentum aliquod patiatur. Specialiter autem Paternam exhibeant ſollicitudinem erga tentatos, Paſſionibus deditos, & imperfectos Religioſos, ut iſtos conſervent incolumes, & à periculo, in quo verſantur, liberent. Sani enim non indigent medicô.

Singularî ſtudiô hîc inculcat S. Pater, ne Præpoſiti Monaſterii ſint ſuperbi, aut inflati, ſed humiles. Et ab hoc punctô ſalus totius Monaſterii dependet. Superiores humiles aptiſſima vaſa ſunt, quibus DEUS liberaliter infundit ſpiritum ſuum, ut tam ſeipſos, quàm ſubditos per viam pacis ad cœlum dirigere poſſint. Tales ergo ſuum Regimen, diſpoſitiones, adhortationes, correctiones & omnia ſecundùm Spiritum Chriſti cum manſvetudine, diſcretione, & ubi opus fuerit, etiam cum ſeveritate, ſinè ulla tamen amaritudine, aut paſſione perficiunt. Verbô: ubi humilitas, ibi omne bonum adeſt, vel certè aderit; ubi autem hæc deficit, omnia deficiunt.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigeſimum ſecundùm.
Quomodô dormiant Monachi?

MAgnam profectò gratitudinem Superioribus

bus exhibere tenemur, quòd cuilibet Religioso privatum cubiculum, seu cellam concedant. Non arbitror hoc esse contra mentem S. Patris Benedicti, cùm ipsemet dispositionem talium rerum externarum tot repetitis vicibûs in potestate Superioris relinquat. Si omnes in uno hypocausto dormire deberent admodùm gravarentur multi Religiosi ob tussim, sternutationes, & alios quorundam defectus naturales, qui nonnunquàm evitari nequeunt; proinde cæteri boni Confratres in suo somno impedirentur non sinè magno tædio ac molestiâ. At verò in cella separata non modò necessaria quies meliùs obtinetur, sed insuper oratio, lectio spiritualis, & discretæ mortificationes majori tranquillitate exerceri possunt. Nunquàm magis exornata est cella Religiosi, quòd ubi nihil in ea superfluum, sed illa solummodò, quæ pura necessitas & Sancta simplicitas exigit, reperiuntur. Hujusmodi cellæ similes sunt pauperi habitaculo illi, quod JESUS, MARIA, & JOSEPH in Bethlèém & Nazareth incoluerunt.

Primi Patres Ordinis nostri tempore quietis nocturnæ ita vestiti dormiebant, ut mox è lectis suis absque omni ulteriori vestitu chorum & laudes matutinas accedere potuerint. Cùm autem nos frigidiorem Regionem incolamus, ea certè non permitteret, ut similî modô tam tenuiter vestiti chorum nocturnum

fre-

frequentaremus. Sollicitus tamen sit Religiosus, ne vel noctu etiam sinè sacro suo habitu dormiat, siquidem periculo gravis peccati se exponeret, si notabili tempore ex propria incuria habitum non gestaret. Benè attendendum est Paternum monitum S. Benedicti, ut quilibet studeat alterum prævenire ad opus DEI. Qui enim primus in choro, primus etiam apud esum est.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum tertium.
De Excommunicatione culparum.

EA, quæ Sanctus Benedictus in hoc capitulo quasi obiter tantùm tractat, ampliùs declarat in capitulo sequenti.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum quartum.
Qualis debeat esse modus excommunicationis?

IN hoc capitulo præscribit Sanctus Benedictus, quomodò leviores culpæ & errores sinè incursione veræ ac Majoris, ut vocant, Excommunicationis puniri debeant: videlicet per sequestrationiem pœnitentis à communi mensa. Et vult S. Pater, ut tali Religioso durante hac pœnitentia non liceat in choro Psal-

Psalmum, aut Antiphonam intonare, neque lectionem legere; & ut tunc primùm comedat, quando communis mensa conventualis jam finita est. Pro declaratione & per modum exempli hoc tempus adducit, ut si v. g. Conventus hora sexta (quæ apud nos est duodecima meridiana) refectionē sumat, ille frater pœnitens primū horâ nonâ (est apud nos tertia pomeridiana) se reficiat. Et quando conventus primùm horâ tertiâ pomeridianâ reficitur, tùnc pœnitens vespere primùm, id est, circa horam quintam, cibum accipiat. Cæterùm S. Pater & horam & mensuram cibi pro tali pœnitente Superiori relinquit. Cùm igitur horæ refectionis (de quibus infra, cap: 48.) moderno tempore non ita ampliùs serventur, ideò in nostris Provinciis talis ordò cum pœnitentibus observatur, ut quidem unacum aliis ad refectorium admittantur, non autem ad mensam, sed humi sedere debeant: & postquàm reliqui de conventu cibos suos acceperunt, ultimò demùm & ipsis ex licentia Superiorum aliquid porrigitur. Et per hoc satisfit menti Regulæ, quia Sanctus Bendictus hanc pœnitentiam quoad tempus & modum arbitrio Superiorum relinquit. Hæcque separatio à mensa non est excommunicatio propriè dicta, se Regularis duntaxat.

ANI-

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum quintum.
De gravioribus culpis.

CIrca has ordinat S. Benedictus, ut si fortè Religiosus graviter deliquerit per superbiam, inobedientiam, contemptum Regulæ aut Superiorum, &c. talis primò benignè admoneatur, ut se emendare velit: postea etiam (si emendatio non fuerit secuta) publicè coràm omnibus increpetur. Si verò in sua malitia perseveraverit, taliter excommucetur, & à communitate segregetur, ut neque ad divinum officium, neque ad mensam, neque ad ullius hominis consortium admittatur. Et si istis omnibûs jam adhibitîs adhuc obstinatus manserit, verberibûs castigari debeat. Hic loquitur S. Pater (ut quidam opinantur) de vero & terribili Anathemate Ecclesiastico. DEUS autem ab omnibus Religiosis tam enorme delictum, támque gravem avertat pœnam, quæ tempore Sancti Benedicti frequentiùs quám modò infligi consvevit.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum sextum.
De hìs, qui sinè jussione (aut licentiâ) Abbatis junguntur Excommunicatis.

TExtus hôc locô quoad litteram clarus est: Sciendum tamen, hujusmodi transgresso-

rem

rem non majori, sed minori Excommunicationi obnoxium fore. Qualis autem utraque harum Excommunicationum sit, necessum non est hic declarare.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum septimum.
Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa Excommunicatos?

IN nostris Monasteriis (DEO sit laus) non adeò scimus contingere tam graves lapsus, ac pœnas. Si tamen ex permissione divina hujusmodi quid fortè accideret, clarè ante oculos & manus habemus salutarem doctrinam & instructionem S. Benedicti, quomodò cum his errantibus oviculis procedendum sit, ne animæ pretioso JESU Sanguine tam raro redemptæ in interitum eant.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum octavum.
De iis, qui sæpiùs correcti non emendantur.

PRæsens capitulum non de minoribus Regularibus delictis ac transgressionib⁹ intelligendum venit, quales sunt: violatio silentii, ultra tempus dormire &c. Sed de gravibus &

planè intolerabilibus excessibus. Si autem Religiosus in similibus emendare se nollet, non ejiceretur è Monasterio (ut aliàs Regula quoad literam indicat, hodie tamen non ampliùs permissum est) sed talis ovicula de sano grege abscinderetur, & vel temporali, vel perpetuo carcere clauderetur, ut neque in Monasterio, neque in sæculo lapidem offensionis invenire posset.

ANIMADVERSIO
Super Caput vigesimum nonum.
Si debeant iterùm recipi fratres exeuntes de Monasterio?

MAlè viventes, aut inquieti Monachi non expelluntur è Monasterio, ut suprà dictum, si autem perfidus aliquis Religiosus ultrò è Monasterio fugeret, intercipi deberet, & retrahi à fuga, atque exemplariter castigari, vel perpetuo carceri mancipari. Proinde capitulum hoc quoad literam in omnibus servari nequit, cùm canones Ecclesiastici non tolerent, ut Religiosus aliquis in sæculo circumvagetur, aut juxta proprium sensum & gustum aliò migrare permittatur.



ANI-

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum.
De pueris minori ætate, qualiter corripiantur?

NEmo arbitretur Sanctum Benedictum tam rigidum Patrem, fuisse, ut teneros pueros instructionis gratiâ in Monasteriis susceptos ob quemlibet errorem severîs jejuniîs aut acribûs virgîs castigari voluerit; sed istud capitulum de gravibus solummodò defectibus ac delictis intelligi debet, de quibus egit in capitulo præcedenti, & ob quæ Religiosus adultus excommunicari mereretur. Immò expressè ordinat Sanctus Pater, cap: 70. ut si aliquis contra ipsos pueros sinè discretione exarserit, Regulari disciplinæ subjiciatur.

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum primum.
De cellerario Monasterii, qualis sit?

ILli Religiosi, quibus à Superioribus administratio temporalium commissa est, in maximo periculo versantur, ne aut nimiùm se immergant, aut nimìs parùm satisfaciant suo officio. Sæpè enim impediuntur, ne horas Canonicas, meditationes, examina, lectiones spirituales debito tempore peragere possint. Cum variis insuper hominibus ipsis agendum

eſt non ſinè diſtractione cordis, & periculô incidendi in malas cogitationes ac deſideria: hinc facillimè ſpiritûs fervorem amittere, & tepiditatem DEO tam diſplicentem poſſunt incurrere. Sed Sanctus Benedictus præcavere volens tanto malo, aliiſque gravibus animarum periculis, ex ſingulari inſtinctu Spiritûs Sancti hoc præclarum & doctrinis plenum capitulum ipſis ſervandum propoſuit, in quo certè omnia ad ipſos ſpectantia comprehenduntur. Si cum induſtria & attentione illud legerint, & pro viribus obſervaverint, magnos gratiæ & gloriæ gradus ſibi comparare poterunt. Si autem tam inſignia Paterna monita neglexerint, timeant, ne per admiſtrationem temporalium infelicem vitæ exitum, cum jugo graviſſimæ rationis reddendæ ſibi ultrò conſciſcant. Neque hoc capitulum concernit ſolos Cellerarios, Oeconomos, ſed etiam Præfectos culinæ, item Granarios, & particulares coadminiſtratores cellæ vinariæ conventualis. Hi omnes ſedulò invigilent, ut ſi exercitia ſua ſpiritualia debito tempore non potuerunt perſolvere, alio tempore illa peragant, & nunquàm penitùs intermittant; aliàs in magna conſcientiæ gravamina incident.

ANI-

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum secundum.
De ferramentis vel rebus Monasterii.

IN hoc Capitulo S. Pater noster omnes illos instruit, quibus aliquid custodiendum aut tractandum committitur, quales sunt: Sacristanus, Archiviarius, Bibliothecarius, Vestiarius, Hortulanus, Bibliopégus, Distillator, &c. & admonet illos, ut cum diligentia ac sollicitudine invigilent, ne aliqua ex rebus sibi commissis destruatur, frangatur, perdatur, negligatur, aut lædatur. Immò in præcedenti capitulo hortatur, ut omnia vasa, omnémque substantiam Monasterii tam sollicitè custodiant, uti vasa sacrata altaris. Votum paupertatis hujúsmodi officialibus sufficiens stimulus ad diligentiam esse deberet.

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum tertium.
Si quid debeant Monachi proprium habere?

HIc nihil ultrà mihi notandum occurrit, præter ea, quæ suprà de voto paupertatis asserui. Quamquàm autem tam perfecta paupertas à nobis exigatur, ut nec mortalia corpora nostra in potestate propria habere possimus, admittunt tamen Theologi, Religiosam per-

Personam sua bona opera & orationes aliqua ex parte habere in propria potestate, ita, ut possit illa, quamvis non omnia, ad libitum etiam pro aliis applicare, quod tamen sinè inordinato affectu, sed Sanctè fieri debet.

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum quartum;
Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere?

COnstat, non omnes Religiosos unius complexionis, aut sanitatis esse, nec æqualibûs corporis viribûs pollere; necessum proinde est, ut Superiores uni plus indulgeant, quàm alteri. Sed apud imperfectos Religiosos oriuntur exinde inquietudines & invidiæ; sic enim judicant & dicunt: alii infirmiores se simulant, quàm reverà sint, & plus ipsis à Superioribus connivetur, quàm oporteret. Hinc sæpiùs indignationem & displicentiam super utrúmque concipiunt, in eaque constanter persistunt, immò etiam clandestinè hinc inde murmurant, sed non sinè gravi peccato & transgressione hujus capituli. Verus Religiusus omnem curam & sollicitudinem harum rerum Superioribus debet relinquere, qui & rationem DEO reddere obligantur. Tolerabilius est, si fortè ultra necessitatem alicui condescendatur in mediis temporalibus, quàm ut

Re-

Religiosus in tali displicentia & inquietis cogitationibûs vivat. Quòd S. Pater ad finem hujus capituli omne murmur tam severè, & cum intentatione gravis ac districtioris disciplinæ prohibeat, est juxta doctrinam Spiritûs Sancti, Sap: 1. dicentis: *Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriret illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit, & sermonum illius auditio ad DEUM veniet ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, &c.* hucusque S. Scriptura. Si unquàm murmurâsti, detestare hoc per veram pœnitentiam, & cave deinceps. Accommoda te omni eventui, & dispositioni Superiorum, & attende tibi soli, tunc extra periculum versaberis. Qui murmurat, contra obedientiam, contra charitatem, immò contra ipsum DEUM peccat.

ANIMADVERSIO

Super Caput trigesimum quintum:

De Septimanarijs Coquinæ.

CApitulum istud anxias olim cogitationes in me excitavit; siquidem mihi videbatur, nos moderno tempore contra expressam voluntatem Divi Patris Benedicti tam longè ab illius observatione recedere. Cùm autem at-

tentiùs legissem, inveni, non adeò malè rem constitutam esse, sed quòd hîs temporibûs sinè omni displicentia Sancti Patris à litterali sensu hujus capituli recedamus.

Et *primò* quidem, cum tempore S. Benedicti in unoquoque monasterio vix unus sacerdos, cæteri autem Religiosi solummodò fratres Laici, seu conversi fuerint, omninò conveniens erat, ut in culinæ Ministerio mutuas vices subirent. *Secundò*: cùm S. Pater non modò infirmos, debiles, & Cellerarium, sed etiam, omnes alios, qui majoribûs & utilioribûs negotiîs occupantur, à culina excipiant: moderno autem tempore cœnobia majori ex parte Sacerdotibûs, clericîs talibûsque professîs abundent, qui suo tempore ad dignitatem Sacerdotalem assumendi sunt; his autem incumbat persolutio divinorum officiorum, missas legere, concionari, confessiones excipere, curæ animarum invigilare, Philosophiam, Theologiam docere, aut studere, quæ occupationes utique longè majoris momenti sunt, quàm coquum agere; hinc clarè infertur, tales Personas vi hujus capituli à culinæ ministeriis exemptas esse ac liberas. *Tertiò*: Quinimò etiam Fratres conversi non omnes ad culinam destinari possunt, cùm à Superioribus ad magis necessaria & meliora servitia deputati sint, videlicet ad officium sacristani, pistoris, sartoris, alisque necessarias

occu-

occupationes domesticas, cum quibus servitia culinæ peragere non possent. *Quartò*, non audeo hîc mentionem facere, quòd Religiosi moderno tempore contenti non ampliùs essent unô vel alterô simpliciter coctô ferculô, sicut aureîs illîs temporibûs Primorum Ordinis nostri Parentum; sed benè expertos & omnibûs numeris absolutos coquos advocare necessum est. Si omnes secundùm ordinem culinam administrare deberemus, parùm saporis esset in cibis, multùm autem murmuris in ore & corde. His proinde fatemur & prodimus fragilitatem nostram: defectum autem servitii culinaris ex parte supplemus, dum singuli per unam hebdomadam secundùm ordinem ad mensam inservimus, quod summè meritorium opus est, si cum bona voluntate, industriâ, & verâ humilique charitate fiat.

Publica pedum lotio, de qua in hoc capitulo fit mentio, ex priùs adductis, aliisque notabilibûs rationibûs, & ut speramus, sinè displicentia S. Patris Benedicti hodie communiter intermittitur. Sicut etiam alia hujusmodi externa statuta Regularia sub nullo peccato obligantia propter diuturnitatem temporis & mutationem consuetudinum sinè detrimento Regulæ Principalis possunt, immò quandoque debent intermitti, cùm etiam utiles & Sanctæ ceremoniæ (uti olim præter alia fuit osculum pacis inter Christianos usitatum,

atum, de quo S. Benedictus cap: 53. & hæc ipsa publica pedum lotio) aliquibûs temporibûs bonæ & ædificatoriæ, brevì post autem inutiles, immò prohibitæ esse potuerint.

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum sextum.
De infirmis Fratribus.

TAm dilucidè in hoc capitulo Paternum suum animum verámque compassionem erga infirmos ostendit S. Benedictus, & tam exactam de ipsis curam haberi mandavit, ut nihil ultra in hac materia notandum occurrat. Præterea tam sollicitè instruit infirmos, eorùmque servitores, immò & Abbatem omnésque Officiales, ut penitùs nihil hôc locô intermissum sit. Si suspicio venit, hunc vel illum Religiosum plus fortè exaggerare infirmitatem suam, ac in re ipsa est, non malè fiet, si nihilominùs ipsi fides detur, ne aliquid ad curam infirmi pertinens negligatur. Infirmus autem securè procedet, si factâ manifestatione morbi filialiter se relinquat curæ & ordinationi Superiorum.

Quod concernit punctum de comedendis carnibus, inferiùs discutiemus.

ANI-

ANIMADVERSIO

Super Caput trigesimum septimum.

De Senibus, vel infantibus.

CApitulum hoc itidem quoad litteram clarum est, plenumque affectu paternô, quòd videlicet senibus, & pueris ad scholam, vel ad victum susceptis ante consvetum tempus mensæ aliquid refectionis dari possit. Quando dubium occurrit an Religiosus aliquis ratione senii vel infirmitatis ad jejunia Ecclesiastica teneatur, hoc periculum & dubium per dispensationem Superiorum amovebitur.

ANIMADVERSIO

Super Caput trigesimum octavum.

De hebdomadario Lectore.

ISstud capitulum in nostris Provinciis. DEO sit laus, ordinatè servatur, quòd autem nolit S. Binedictus, ut omnes & singuli secundùm ordinem legant aut cantent, ratio est, quia videlicet Religiosi illo tempore penè omnes erant Laici, seu conversi, quorum nonnulli aut malè, aut fortè omninò non potuerunt legere.

ANIMADVERSIO
Super Caput trigesimum nonum.
De Mensura ciborum.

SUper hoc capitulum, (quod in pluribus bonis Religiosis anxias cogitationes excitat) sequentia adverto: *Primò*, quod concernit numerum ciborum, S. Pater duos cibos coctos permittit, & etiam tertium, ex pomis leguminibûs, & hujusmodi confectum. Hi cibi more veterum Monachorum communiter ex levibus duntaxat terræ fructibus constabant, ita, ut quilibet Monachus (vi Regulæ) illos coquere posset. Ut mihi tamen videtur, etiam pisces, ova, & similia non excluserint, si fortè ex Divina Benedictione, aut liberalitate piorum hominum talia ipsis oblata fuerunt. Non tamen ad quotidianum esum sibi talia comparabant, idque ad imitationem Salvatoris nostri, qui plerùmque pane hordeaceô contentus erat. Quoad numerum autem ciborum in nostris Provinciis in mensa Regulari ab antiquo more nõ multùm recedimus; nam ordinariè duo tantummodò fercula cum aliquo intermedio apponuntur. Solum jusculum (cujus non erat usus in Italia, ubi Sanctus Benedictus degebat, nobis autem Germanis ob frigidam locorum naturam admodùm utile, immò necessarium est)

statu-

statutum numerum excedit, & videtur omninò, illud sinè omni transgressione hujus capituli adhiberi posse.

Secundò: S. Pater Superioribus relinquit, ut exigentibûs causîs plures etiam cibos indulgere possint. Hanc Paternam discretionem Superiores nostri usurpant, dum in diebus festivis, & quibûsdam aliîs temporibûs plures cibos apponi permittunt, de quibus singuli Religiosi pro sua necessitate accipere possunt, ita tàmen, ut recordentur seriæ admonitionis Sancti Benedicti, nec ultra comedant, quàm necessitas exigit, ut nunquàm subrepat indigeries. Gula Religiosum dedecorat. Quando in refectione cibi & potûs non necessitas, sed sensualis oblectatio quæritur, peccatum est. Qui ob defectum alicujus delicati obsonii murmurare præsumunt, cùm tamen ad satietatem jam comederint, non sunt Religiosi, sed &c.

Tertiò: In libro 1. de Doctrinis & Viris Patrum, (de Prævidentia, num: 35.) narratur, quòd cùm aliquando Sanctus quidam senex Propheriæ spiritu donatus unacum aliis Religiosis cibum sumeret, in spiritu viderit, alios ex ipsis mel, alios panem, alios autem stercus manducare. Hæsit senex attonitus ob tantam diversitatem, cùm sciret omnibus eundem cibum apponi; postquàm autem DEUM pro intelligentia hujus visionis rogavit,

reve-

revelatum ipsi est, quod illi, qui cibos appositos cum timore, tremore, & gratiarum actione, manducantes intereà cor suum per orationem ad DEUM crebriùs elevabant, melle reficiebantur. Alios autem, qui cum gratitudine cibis sibi à DEO missis fruebantur, pane pastos fuisse. Tertios denique, quia super cibos murmurabant, quasi essent insipidi, & malè cocti, &c. immundam illam materiam devorâsse. Prô pudor! Quid tu comedis?

Quartò: quod concernit esum carnium, non penitùs excludit illas Sanctus Benedictus, sed infirmis omninò debilibus pro reparatione concedit. Sanis autem prohibet illarum comestionem: & hoc in multis nostri ordinis congregationibus diligenter adhucdum observatur. Apud nos autem Benedictinos in Germania hæc consvetudo quoad esum carnium jam à multis retrò temporibus, (quæ nec memorari valent) cum permissione supremæ potestatis ad certos dies introducta fuit. Contra hanc consvetudinem quidam allegare volunt seriam illam DEI comminationem, Isaiæ 22. *Vocabit Dominus DEUS exercituum in die illa* (Religiosos) *ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia: occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini Exercituum: si dimittetur iniqui-*

iniquitas hæc vobis, donec moriamini: dicit Dominus DEUS Exercituum. Profectò metuenda verba: quæ tamen ad nostros Religiosos reduci nequeunt, quia non ex propria voluntate, sed cum rationabili Superiorum consensu certis diebûs carne vescuntur.

Sed ut magis ad nostrum Scopum veniamus, ita meam mentem declaro quoad hoc punctum: prohibitio carnium in nostro casu Regulare statutum est, quod, sicut & cætera in Regula contenta, (illis exceptis, quæ ad vota Religiosa pertinent) sub nullo mortali obligat; sequitur ergò, Ecclesiam aut Superiores ex urgenti ac notabili causa hac in re, sicut & in cæteris similibus, dispensare posse, quod etiam factum est in nostris Regionibus. Circa quod omninò non convenit, privatum Religiosum disputare secum, aut anxiari, ne fortè Regula quoad litteram hoc in puncto non observetur; quin potiùs octavum humilitatis gradum sibi servandum sciat, neque ex proprii judicii tenacitate aliud sequi velit, quam quod tota communitas ex majorum ordinatione in hac re observat. Id solum ergo manducet, quod in mensa apponitur, quidquid demùm illud sit, de cætero omnem curam Superioribus relinques, num licita sit hujusmodi dispensatio, & quomodò olim DEO & Sancto Benedicto rationem reddituri sint. Licebit tamèn intereà optare, Deúmque precari.

cari, suam ut gratiam largiri dignetur, quatenùs in hoc casu Regula secundùm litteram servari queat.

Addit in hoc capitulo S. Benedictus pauca quædam verba, quæ tamen multis Religiosis adeò observatu difficilia esse videntur, ut ea potiùs è Regula eliminata vellent: videlicet: *servata in omnibus* parcitate. Non displiceant tibi verba hæc, qui paupertatem adeò generosè vovisti. Exulta & lætare imminentibûs quandóque occasionibûs pauperem JESUM in rerum penuria imitandi. Officiales tamen Monasterii non ita textum intelligant, quasi nõ oporteat ipsosConventui omnia necessaria sollicitè & ad sufficientiam ministrare.

Demùm, cùm mensura panis à S. Patre præscripta (*panis libra una*) nõ satis cognita sit, benè admodùm agunt Superiores, quandò cuivis suorum Religiosorum eam panis quantitatem, quæ ad necessitatem sufficere potest attribuunt.

ANIMADVERSIO
Super Caput quadragesimum.
De Mensura potûs.

VIx, arbitror, ex toto cognosci aut divinari posse, quæ & quanta propriè sit *Hemina* nobis à S. Patre pro mensura potûs præscripta. Quapropter omninò incumbit Superioribus,

bus, ut eam vini quantitatem Religiosis suis permittant, quæ necessitatem expleat, vitatâ omni superfluitate. Et quamvis S. Pater discretioni Superiorum relinquat, quatenùs ex rationabili causa nonnihil amplius super statutam Regularẽ mensuram indulgere possint, vult tamen insuper, & quidem seriò, *ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius.* Vult prætereà, ut filii sui, si fortè non adeò multum vinum, neque tam generosum, ut vellent, inveniri possit, à murmuratione caveant.

Non vulgare donum DEI est temperantia in cibo & potu. Hæc sanitatem hominis conservat, eumque ad vigilias, meditationes, studia, orationem, cæterasque omnes in & externas occupationes aptum efficit, & specialem in cœlo coronam atque mercedem promeretur. Contrarium horum omnium præstat superfluus cibus ac potus. Tibi autem, mi lector, id opto ex animo, ne hoc aliquandò vel hîc, vel ibi actualiter experiri cogaris &c.

ANIMADVERSIO
Super Caput 41.
Quibûs horîs oporteat reficere fratres?

DEclarat hîc Sanctus Benedictus, quandonàm & quotiès Religiosos suos jejunare oporteat. Et primò quidem per totum tem-

pus Paſchale nullum præſcribit jejunium; vultque, ut ad ſextam horam, (quæ apud nos eſt duodecima meridiana, ut infrà dicetur in diſtributione diei ſuper caput 48.) reficiant, ſeu prandium ſumant, & ad ſeram, id eſt, veſpere, cænent. A Pentecoſte ſingulis hebdomadis binos ad jejunandum dies aſſignat, Relinquens tamen Superioribus, ut etiam hîc, ſi videbitur, diſpenſare poſſint. Ab Idibus, ſeu 13. die Septembris uſque ad quadrageſimam quotidie jejunare debebant uſque ad nonam, (quæ apud nos eſt hora tertia pomeridiana) exceptîs procul dubiô diebûs dominicîs. Mirum itáque non eſt, S. Patrem de jejunio adventûs nullam mentionem facere, cùm aliundè eo tempore ipſius diſcipuli uſque ad tertiam poſt meridiem jejunare conſueverint. In jejunio autem quadrageſimæ refectionem omninò differebant uſque ad veſperam, id eſt, ad horam quintam veſpertinam: prout dicemus inferiùs ſuper cap: 49.

Hîc probè notandum eſt, Primos Patres Ordinis noſtri uſque poſt tempora S. Bernardi multò majori rigore jejunâſſe, ac nos moderno tempore ſolemus: quandoquidem juxta hoc capitulũ in diebus jejunii Regularis horâ tertiâ primùm poſt meridiẽ refectionẽ ſumpſerũt, nec ante hoc tempus, nec poſteà quidquam cibi aut potûs deguſtantes, exceptîs ſolummodò infirmîs ſenſibûs, & puerîs junioribûs ſcholæ aut menſæ alumnîs. In

In nostris quidẽ Provinciis à Pẽtecoste usque ad 13. Septembris juxtà tenorem Regulæ omni hebdomadâ bis jejunare consuevimus, à 13. autem Septembris ex Superiorum dispensatione unum tantùm jejunium singulis hebdomadis servamus, nihilominùs sperantes, S. Patrem Benedictum pro paterna sua benevolentia plus à nobis non exigere partim, quia hoc tempore plura nobis occurrunt jejunia tum Ecclesiastica, tum spontè accepta partim, quia officium Divinum nostris temporibus multò longiùs, quàm olim, durat, uti superiùs insinuatum est. Sed præcipuè, quia S. Pater expresśè in hoc capitulo superiorum discretioni relinquit, ut *sic omnia temperent atque disponant, qualiter & animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque ulla murmuratione faciant.*

Præterquàm, quòd hodiè tot jejunia Regularia non obeamus, ut supra dictum, insuper jejunia nostra longè non sunt tanti rigoris, ac olim fuerunt. Tempore siquidem S. Benedicti in diebus jejuniorum Regularium Nona ex officio Canonico, & Missa conventualis primùm post meridiem circà horam tertiam celebrari consueverant, iisque demùm finitis Monachi refectionem sumpserunt. Cùm autem S. Ecclesia moderno tempore haud admittat ampliùs, ut tam serò missæ celebrentur, hinc nona adhuc ante meridiem cantatur, quam in diebus jejunii Ecclesiastici mox subse-

 quitur

quitur officium conventuale, & prout hodiè consuetudo est, refectio sumitur in diebus jejunii circà horam undecimam, aut seriùs: & insuper ad Vesperum circa horam quintam, aut sextam refocillatio aliqua permittitur; quam communi nomine collationem vocamus, quæ tamen ne quidem cognita, multò minùs in usu erat antiquis Patribus Ordinis nostri, sed potiùs eo tempore: juxta tenorem capituli sequentis, ad Lectionem spiritualem publicam, sive *collationem* convenerunt.

Cùm igitur tam numerus, quàm rigor jejuniorum Regularium hoc nostro tempore adeò notabiliter diminutus sit, ut vix comparatio fieri possit ad priora tempora, & insuper vespertina collatio nobis admittatur, hinc admodùm malè & periculosè agunt nonnulli ex junioribus Religiosis, qui etsi cæteroquin sanitate ac robore corporis polleant, nihilominùs quandóque etiam in diebus jejunii Ecclesiastici manè tot dulciaria confortativa sinè necessitate sumunt, séque etiam Vespere absque urgenti causa ità reficiunt, ut molestiam jejunii nullam sentiant. An tales præcepto Ecclesiæ, & obligationi statûs sui satisfaciant, ipsorum conscientiis relictum esto. Religiosus sani corporis sinè vero jejunio hypocrita est. Quod S. Benedictus ad calcem hujus capituli præscribit, *ut* videlicèt *luce adhuc diei omnia consummentur* id in Regionibus nostris Aquilona-

ribus

ribus fieri nequit, ſed quandóque lucernîs opus habemus, in hyeme præſertim.

ANIMADVERSIO
Super Caput 42.
Vt poſt completorium nemo loquatur.

MUltùm reverà intereſt ſalutis Religioſorum in Monaſterio benè ordinato viventium, ut capitulum hoc ad amuſſim obſervent. Ubi nulla, vel exigua diſciplina, aut bonus ſpiritus. Perfectum ſilentium tunc ſervatur, quando nihil omninò loquimur: ſilentium autem clauſtrale, ſeu diſcreta quies Monaſtica requirit, ut ea, quæ per diem nobis loquenda, aut diſponenda ſunt, eô moderamine ac diſcretione faciamus ut ne ullum inquietemus, cive impedimento ſimus. Silentium clauſtrale non loquendô tantùm, ſed etiam inurbanîs curſibûs, plaudendô pedibûs terram, aperiendô aut claudendô cum ſtrepitu januas, excitandô tumultum in cella, &c. violatur.

Quod jam concernit ſilentium nocturnum, ea S. Benedicti voluntas eſt, ut Monachi omnes, nullô penitùs demptô, exiguâ poſt cœnam morâ interpoſitâ, vel diebûs jejuniorum brevî ſpatiô poſt veſperas, deſtinatô in locô conveniant, ibidémque vitæ, aut collationes ſeu colloquia & doctrinæ Sanctorum Patrum, vel alia ad ædificationem pertinentia

legantur, *quantùm hora permittit*, seu quantùm tempus adhuc reliquum ante completorium patitur. Finitâ lectione incipiendum esse mandat completorium, eoque transactô per totam noctem exactissimum servari silentium districtè præcipit, transgressoribus illius severè omninò punitis. Sacræ legis hujus observantia in Reformatis cœnobiis magnoperè viget; vult insuper S. Pater, ut etiam conversatio cum hospitibus sub hoc tempus magis moderata sit, majorîque compositione cum iisdem agatur. Quod punctum defactò solertius observandum esset.

ANIMADVERSIO
Super Caput 43.
De iis ad opus DEI, vel ad mensam tardè occurrunt.

ID exigit S. Benedictus à Religiosis suis, ut mox auditô signô sinè mora ad Divinum officium festinanter occurrant, cum modestia tamen, & absque indecenti cursu. Qui ordinariè tardant venire, & primùm post initium divini officii occurrunt, hi clarè demonstrant, se negotiorum suorum & occupationum longè majorem habere curam, quàm divinæ laudis ac servitii: cùm tamen S. Pater ità efficaciter jubeat, ut *nihil operi DEI proponatur*. Sed timeo, ne ille

ne ille puer Æthiops, qui olim, (teste S. Gregoriô) Monachum quendam repetitis vicibûs è choro extraxit, adhuc hodiè se nostris cætib⁹ immisceat, cùm tot Religiosi absque urgēti causa nimiùm facilè à choro se subducunt, exemptiones à divino officio persæpè affectant, sub prætextu, ut cæteris negotiis sibi commissis eò meliùs vacare possint. Ubi tamen experientia probat, quòd, si Religiosus (quantùm est possibile) divino officio unacum aliîs devotè interesse conetur, reliqua deindè negotia, quæ ex officio ipsi incūbunt, multò feliciùs ei succedāt, ac alteri, qui ex quavis causa se indè abstrahit. Ubi non negamus, exemptionem à choro sæpè justam, immò necessariam esse posse.

De cætero capitulum istud in nostris provinciis circà hujùsmodi negligentes rectè servatur, ubi non licet ipsis occupare statim sua loca, sed coràm omnibus in medio chori stare compelluntur, donec datô signô à Superiore ad loca sua accedere permittantur. Verùm hîs nondum contentus est S. Benedictus, sed vult, *ut satisfaciat reus ex hoc*, sive, ut talis, qui ex mera negligentia seriùs occurrit, insuper aliquâ pœnitentiâ mulctetur.

Quod illos concernit, qui tardiùs ad mensam veniunt, per hoc apud nos sufficienter adimpletur Regula, quòd talis publicè in refectorio se prosternere, & signum, seu licentiam accumbendi ad mensam exspectare debeat.

Quòd autem S. Pater æqualem pœnam & illi dictet, *qui ad illum versum non fuerit præsens*, qui *post cibum dicitur*, ratio esse potest, quòd jam ipsius tempore quædam monasteria ultrà centum Monachos numeraverint, ex quibus nonnulli parcissimâ refectione contenti erant, quibus tamen è refectorio abire non licuit, donec reliqui pro necessitate sua comedissent, ut ità simul omnes surgentes à mensa debitas Domino DEO gratias junctîs vocibus reddere potuerint.

Non sinè fastidio quandóque videre est, nonnullos, etiam Religiosos, antè & post mensam tam languidè, & ut ita dicam, ore quasi semi apertô, solitas orationes depromere. Hi profectò mererentur, ut nonnisi ore mediô cibum degustarent. Dominicus de S. Geminiano, pro mortali peccato censere videtur, si quis antè & post mensam orare neglexerit. Cajetanus, Sylvester, Angelus, Navarrus id veniale esse judicant. Sit tamen res, utcúmque voluerit, tu sequere Salvatorem, qui *accepit panem*, & Gratias agens, *fregit*: cænâque absolutâ Deo Patri suo Hymnum dixit.

Salutaris illa constitutio, *ne quisquam præsumat, ante statutam horam vel postea quicquam cibi vel potûs percipere* (absque necessitate & licentiâ) à multis neglectui ducitur, at non sinè damno sanitatis tum corporalis, tum spiritualis.

Ulti-

Ultimò demùm adverte, ordinationem illam S. Benedicti (si cui offertur aliquid) cibi vel potûs à Superiore, & accipere renuerit, talem propterea hujusmodi res aliâ vice non debere accipere, immò etiam puniendum esse, &c.) intelligendam esse de tali recusatione, quæ malô animô, cum pertinacia, sinè debita reverentia, aut absque ulla ratione fit: aliud foret, si subditus rem oblatam sibi non modò non necessariam aut utilem, sed & superfluam, ac nocivam esse, deprehenderet, ubi omninò cum reverentia & gratô animô illam recusare potest, ac debet. In talibus siquidem casibus id solum quærunt Superiores, ut paternum suum affectum subdito exhibeant, non autem, ut superflua aliqua aut nociva eidem procurent.

ANIMADVERSIO
Super Caput 44.
De iis, qui excommunicantur, quomodò satisfaciant?

VIdetur hôc locô S. Pater sermonem instituere de terribili illo Anathemate Ecclesiastico. Avertat Benignissimus DEUS ab omni Religioso tam gravem lapsum ac pœnam. Si autem permittente Justissimô DEO hujusmodi quid contingeret, nôssent omninò Superiores, quâ ratione capitulum hoc observan-

servan-

servandum esset: quamquàm moderno tempore non adeò congruum foret, ut pœnitentes ad januam Ecclesiæ, vel simili in loco prostrati jacerent, cùm etiam sæculares homines eò conveniant, ac proinde magnum scandalum & diffamatio non tantum pœnitentis, sed & totius congregationis exindè sequi posset.

Peractâ autem leviorî quâdam pœnitentiâ Religiosus cum consveta benedictione Superioris absolvitur, utì notum ac usitatum est.

ANIMADVERSIO Super Caput 45.

De iis, qui falluntur in Oratorio.

CApite 58. præscribit Sanctus Benedictus, ut *omninò curiosè attendatur* ad Novitium, *si sollicitus est ad opus* DEI, hoc est, ut non tantùm alacriter & cum S. Intentione ad laudes Divinas occurrant, sed etiam antecedenter omnia sollicitè exquirant, relegant, ac prævideant. Quod non modò in pueris scholaribus, aut novitiis, sed in omnibus Religiosis admodùm laudabile atque conveniens est. Quòdsi nihilominùs ex infirmitate quandóque hallucinentur aut errent, id longè minùs îpsis imputabitur, oportebit tamen, ut conventi inclinatione se humilient, ac pro commisso errore

rore ſecundùm litteram Regulæ ſatisfaciant. Aliter de illis ſentiendum, qui ex mera incuria & negligentiâ (ut hîc præſupponit S. Pater) in hoc puncto exorbitant, quod profectò peccatum haud leve eſt, taliſque Religioſus notabilem omninò pœnitentiam promeretur: pueri autem negligentes ad mentem Regulæ Virgis ſubjiciantur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 46.
De iis, qui in aliis quibuſlibet rebus delinquunt.

RElígioſus culpam ſuam humiliter agnoſcens, animóque pr[illegible]ptô confitens, injunctámque ſibi pœni[illegible]tiam ferventer exſolvens, actum exercet humilitatis DEO acceptiſſimæ, nullumquè, aut certè exiguum ſubibit purgatorium. Econtrà Religioſus, cui grave accidit humiliari, quique injunctas pœnitentias contemnit, aut fortaſsìs ſe excuſare, negare, culpámque aliis iniquè imputare præſumit, &c. talis in ipſo fundamento nutat, ruinamque minatur, & in altero ſæculo terribiles pœnas dabit.

Ad finem capitis hujus S. Pater de Sacramentali Confeſſione loquitur, de qua hôc locô nihil memorandum occurrit, cùm omnibus

bus

bus Religiosis abundè constet, quantum solatium ac fructum afferat hoc Sacramentum debitè susceptum: & quàm econtrà puriculosum sit ac noxium, si dolor supernaturalis cum efficaci propositio deficiat. Si ergò confiteri intendis, aut seriò rem aggredere, aut pœnitùs intermitte.

ANIMADVERSIO
Super Caput 47.
De significanda hora operis DEI.

TEmpore S. Patris Benedicti necdum adinventa erant horologia rotis instructa, & ære campanô sonantia; unde non aliter horæ discerni poterant, nisi à cursu solis, lunæ, atque stellarum, cœlô autem nubilô ab horologiis hydraulicis, aut cantu galli. Quapropter magnum onus ac cura Superioribus incubuit, ut omnia horîs cõpetentibûs fierẽt. Hodierno autem tempore satisfit præcepto Regulæ, si Superiores eò diligenter invigilent, ut horologium accuratè directum sit, & signum ad divinum officium, aliásque Religiosas functiones debito tempore fiat: præterquàm, quòd in choro ipsimet Superiores signum faciant ad incipiendas horas canonicas, dumque illîs finitîs â choro discedendum est.

Quod hîc ordinat Sanctus Benedictus,

ut non omnes intonent in choro Psalmos aut Antiphonas, ea est ratio, ut sæpiùs jam insinuavimus, quòd videlicèt eo tempore vix ullus Sacerdos aut Clericus, sed à potiori nonnisi conversi seu laici fuerint in Monasteriis, quorum plurimi talem cantandi peritiam non habebant, ut exinde ædificatio aliqua audientium sequi potuisset. Nostro autem tempore nullus è conventu ab hoc munere exceptus est, cùm omnes oporteat in cantu chorali & psalmodiâ ita instructos esse, ut magna DEO gloria exindè resultet. Intonare siquidem Psalmos aut antiphonas in choro, publicè, legere, aut singulatim cantare angelicum munus est, idque vel maximè, si ad mentem S. Benedicti peragatur, primò scilicèt cum humilitate, 2. cum attentione, 3. cum tremore, aut S. timore, 4. cum S. intentione, ad DEI gloriam, ut audientes ædificentur, & ad laudandum DEUM excitentur. Mens & littera Regulæ in hoc hoc puncto perspicua est, nullatenùs igitur oblivioni tradenda.

ANIMADVERSIO
Super Caput 48.
De opere manuum quotidiano.

Religiosus otio deditus in maximo salutis suæ periculo constitutus est, præterea sibi ipsi totique monasterio onerosus est, indignus,

gnus, qui panem fundationis ità goatis consumat, & denique inter hypocritas numeratur. Oportet, Religiosum omnes diei horas ità ordinare, ut, quid in qualibet sibi agendum sit, noverit: ubi verò agendum nil ampliùs restat, rogandus est Superior, ut opus aliquod perficiendum ipsi determinet. In cœnôbiis ritè ordinatis omnes Monachorum gressus non ex proprio arbitrio, sed ex obedientia fieri oportet. Vult hîc Sanctus Benedictus, omne tempus à suis Discipulis in tribus præcipuè occupationibus transigi; primò in oratione & cantu apud Divinum officium, secundò Lectione librorum spiritualium (ubi & meditatio includitur, velut Ipsemet in præsenti capitulo insinuat, ubi ordinat, ut *Si quis itâ negligens aut desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet*) tertiò labore manuum. Hôc locô igitur in bonum rudium nonnihil ampliùs de. declarabimus ordinem diei à S. Patre præscriptum. Ubi tam ad hujus, quàm aliorum capitulorum intelligentiam notandum venit, S. Patrem horas diei ac noctis non juxtà modernam Italicam, nec juxtà nostram Germanicam temporis distributionem ordinâsse, sed juxtà illam formam, quâ Salvator noster in Evangelio utitur: prima igitur diei ac noctis hora per Regulam indigitata juxtà nostram temporis ordinationem est hora septima; secunda

hora

hora Regularis est apud nos octava, & sic deinceps, ut in sequenti schemate videre est:

Horæ juxtà Regulam	*Nostra est.*
Hora prima - - -	7ma.
2da. - - - - -	8va.
3tia. - - - - -	9na.
4ta. - - - - -	10ma.
5ta. - - - - -	11ma.
6ta. - - - - -	12ma.
7ma. - - - - -	1ma.
8va. - - - - -	2da.
9na. - - - - -	3tia.
10ma. - - - - -	4ta.
11ma. - - - - -	5ta.
12ma. - - - - -	6ta.

Hæc qui observaverit, non modò Sacram Regulam, sed & historiam Evangelicam clariùs intelligere poterit, illam præsertim parabolam, quæ est de operariis in vinea: item, quandò dicitur, JESUM ab intinere fatigatum circa horam sextam apud fontem in Samaria consedisse, nec non, quòd circá horam sextam Crucifixus, circà Nonam exspiraverit; & quòd Spiritus S. circa horam diei tertiam advenerit. &c.

Deinceps autem ad clariorem intelligen-

tiam,

tiam, in hac præsertim distributione temporis explicandâ, horarum intervalla ad morem nostrum Germanicum computabo.

§. I.

Regularis distributio temporis in æstate.

A Paschate usque ad initium Novembris Religiosi ad Chorum Nocturnum, seu, ut nunc vocamus, ad Matutinum, circa horam seuundam post mediam noctem surgebant, uti capitulô 8. præscribitur: diebûs autem Dominicis, & in festis duodecim Lectionum maturiùs surgendum erat, & tunc laudes (quæ in S.Regula matutini vocantur) immediatè post nocturnos celebrabant, quemadmodùm hodié etiam tota propemodûm Ecclesia observat; reliquis autem diebûs non festivis parvô mediante intervallô inter matutinum & laudes necessariis naturæ vacabant, quô elapsô mox cantabant vel psallebant laudes supra dictas ingruente jam die, sicut & Psalmi hymnique feriales in laudibus ad auroram seu ingruentem diem accomodati sunt.

Quid operis autem reliquo die usque ad Primam Canonicam persolverint, non memorat Regula; dubium tamen non est, ipsos tunc meditationi, orationi, aut lectioni vacâsse. Finitâ Primâ operibus manuum incumbebant usque ad horam 10. circiter (tertiam autem canonicam horâ nonâ vel in oratorio, vel

vel in loco, ubi laborabant, juxta præſcriptum capitis 50. peragebant) ab hora decima verò uſque ad meridianam circiter duodecimam lectioni ſpirituali vacabant, eàque abſolutâ ſextam canonicam celebrabant, hâcque finitâ ſobriâ prandiô ſe reficiebant.

Finitô prandiô conceſſum erat, in lectis modicam quietem capere, tum, quòd æſtivo tempore minus ſpatii ad ſomnum habuerint, tum quòd eâ horâ maximi in Italia calores ſint: ne ergò hâc occaſione morbum fortè contraherent, ideò, ut d ctum æſtivo tempore (non autem per totum annum) hanc ipſis piiſſimus Pater pomeridianã quietem indulſit; qui autem ſub id tempus lectioni ſe volebant impendere, licebat ipſis, cum ſilentio in tantum ſibi vacare, ne, quia omnes tunc in una cella, ſeu conclavi morabantur, alii in ſua quiete impediri poſſent.

Dicta quies nonniſi ad mediam circiter horam ſe extendebat: cùm enim primùm hora 12mâ vel poſteà ad menſam ſe refecerint, eaque adhuc ante horam primam fuerit finita, hinc mox ad mediam ſecundam nona canonica celebrari debeat, quâ completâ rursùm laborabant uſque ad veſperam, poſteà decantatîs veſperîs (poſt horam quintam circiter) cœnabant, finitâ cœna convenerunt ad lectionem ſpiritualem in capitulo, quam collationem vocabant, cap: 42. ac tum demùm ce-

 lebra-

lebratô completoriô cum summo silentio cubitum concessêre.

§. 2.

Regularis distributio temporis in hyeme.

AD matutinum in hyeme surgendum erat horâ 2. post mediam noctem (cap: 8.) quando incidebat officium duodecim lectionum, laudes sicut in æstate cum nocturnis conjungebantur, in officio verò trium lectionum ingruente primùm die laudes celebrari consvevêre, & quoniam in hyeme inter matutinum & laudes longè majus temporis spatium, quàm in æstate intercedebat, ideò tunc Monachi orationi, lectioni, meditationi, vel ad discēdæ Psalmodiæ incūbere debebant cap:8.

Post Primam canonicam itidem lectioni vacabant usque ad horam octavam, quâ celebrabatur Tertia ex officio, post quam operi manuum ad horam usque tertiam pomeridianam insudabant, (Sexta autem canonica debito tempore, horâ videlicet duodecimâ, celebrabatur) & tunc primum dabatur signum ad nonam cap: 48. quâ finitâ primùm frugali mensâ reficiebantur. Post mensam vesperas decantabant, & parvô temporis spatiô intercedente ad publicam lectionem vespertinam conveniebant (cap: 42.) post hanc sequebatur completorium, &c.

§. 3.

§. 3.

Ordo diei in nostris Regionibus modern-no tempore per totum annum servari consvetus.

IN Nostris Germaniæ partibus diversæ ordinis S. Benedicti congregationes ac Monasteria diversum quóque ordinem diei tenent, de quo hic disserere supervacaneum est: unicè duntaxat ac breviter hôc locô agam de illa temporis diurni partione, quam congregatio nostra Helvetica hodiedùm observat:

Ad matutinum mediâ nocte surgitur, (exceptô Principali Monasteriô Einsidlensî ob notam Peregrinationem) matutino immediatè annectuntur laudes: post has concessum Religiosis est, ut vel orare, vel legere, vel ad meditationem se præparare possint usque ad horam secundam: horâ quintâ rursùs à somno excitantur, & peractîs precibûs matutinîs, &c. mediâ sextâ in loco destinato conveniunt, & per mediam horam meditantur. Ab hora sextâ usque ad septimâ aut legendum est, studendum, aut missæ celebrandæ &c. posteá celebratur Prima, quâ finitâ iterum hora est lectionis spiritualis, studiorum &c. mediâ nonâ cantatur tertia, quam sequitur missa conventualis, & post illam sexta; (diebûs jejunii Ecclesiastici tertia & sexta celebran-

tur horâ octavâ; nona autem cum officio conventuali tertio quadrante ad decimam) quando non est jejunium, post sextam fit examen particulare super aliquam certam virtutem in singulari, ad eam implantandam, vel super aliquod vitium, ad illud extirpandum, &c. dein horâ decimâ itur ad prandium, eôque finitô ad nonam in choro cantandam. Si dies est jejunii Regularis, celebratur nona mediâ undecimâ, posteà fit examen prædictum, & horâ undecimâ cœnatur.

Post comestiônem per horam est conversatio, aut recreatio aliqua: certis etiam diebûs deambulatio est concessa. Postea vel studiis, vel aliîs laboribûs occupamur usque ad vesperas, quæ horâ tertiâ cantantur. Post has rursùm sequitur hora lectionis usque ad quintam, & tunc cœna, vel diebûs jejuniorum collatio sumitur, quod nomen à sæpè dicta lectione publica *collationum Patrum* &c. suam traxit originem, quæ lectio hic locorum vespere ad horam sextam, vel quadrante post instituitur. Finitâ illà cantatur completorium: sequitur examen generale conscientiæ, in quo Religiosus omnes suas per totum diem præteritum actiones, cogitationes &c. explorat: horâ octavâ omnes ad somnum compositi esse debeant.

Hanc temporis distributionem breviter duntaxat, & in compendio, non autem ex

toto

toto hic apponere placuit, cùm satis constet praxis illius. Aliæ inclytæ congregationes ac Monasteria aliter quóque, ut dictum est, Regulam explicant in illis, quæ de die ac de nocte agenda sunt, omnésque confidunt, se voluntati Sanctissimi Patris Benedicti satisfacere, quamquàm ex gravibus causis de literali sensu Regulæ nonnihil recedant; Siquidem S. Pater cap. 41. providentiæ Superiorum expressè relinquit, *ut sic omnia temperent atque disponant, qualiter & animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque ulla murmuratione faciant.* In præsenti autem capite 48. vult, ut *omnia mensuratè fiant propter pusillanimes.* Ubi rursùs notandum, quòd, cùm moderno tempore major pars Religiosorum ad Sacerdotum assumatur, idcircò præscripti à Regula labores manuum à potiori in studia mutati fuerint: quamquàm & in nostris Monasteriis non modò à fratribus conversis, seu laicis, sed & ab aliis conventualibus statutis horis diversa opera manuum exerceantur.

§. 4.

Distributio temporis pro S. Quadragesimâ, simulque

ANIMADVERSIO

Super Caput quadragesimum nonum.

Sanctæ Regulæ.

ARcum semper summè intensum esse, haud expedit, & similiter, in summo gradu ri-

goris semper persistere non omnibus possibile, sed *paucorum est virtus*, ut hîc innuit Sanctus Benedictus, nos simul Paternè cohortans, ut saltē istîs dieb⁹ quadragesimæ omnî possibilî puritate vitam nostram custodiamus, eàque mortificatione tempus hoc acceptabile transigamus, quæ veros deceat Religiosos. Sed considerandum paulisper, quomodò prisci ordinis nostri parentes quadragesimam observârint. Et quidem juxta Regulam is erat ordo diei hoc sacro tempore: primò: à manè usque ad horam nonam lectioni vacabant: dein usque ad plenam horam quartam pomeridianam operi manuum insudabant. (Exceptîs horis statutis, quibûs officium Canonicum celebrabāt) Post horam quartam decantabant vesperas, sicque primùm horâ quintâ, vel circiter refectionem sumebant, nec antè, nec posteà quidquam degustantes (exceptîs iterùm senibûs, infirmîs, & puerîs scholaribûs ac mensalibûs, vî capitis 36ti) cœnam sequebatur lectio vespertina collationum, posteà completorim, & demum nocturna quies.

2. Præscribit & ordinat Sanctus Benedictus, ut *in capite quadragesimæ accipiant omnes singulos codices* (spirituales) *de Bibliothecâ, quos per ordinem ex integro legant*, quod hodiedum adhuc in benè regulatis Monasteriis usuvenit.

De cætero S. Pater in hoc cap: 49. ità penetrantibûs verbîs adeóque eleganter de quadrage-

dragenario jejunio ſcribit, ut plura addere velle, temerarium eſſe videretur: eſſetque negligentia multùm culpabilis, ne dicam, inexpicabilis, ſi filii ipſius hoc capitulum ſtudiosè non legerent, neque pro viribus obſervarent.

Religioſi juniores, parumque in hiſtoria verſati hîc in inſuper animadvertant, primos Patres Ordinis noſtri magno cum rigore quadrageſimam traduxiſſe; quidam enim eorum integris illis quadraginta diebûs nullum calidum ſumpſêre cibum, alii omnî Vinô ſibi interdixêre, quidam ſecundô primùm, aut tertio die ſe reficiebant, aliqui non utebantur lectô, ſed paucis horis ſuper nudam humum ſomnum capiebant. Nec deerant, qui ab omni hominum conſortio ſequeſtrati eo tempore in deſertis habitârunt, aut anguſtiori cella ſe incluſêrunt. Alii continuô & nunquàm interrupto uſu cilicii membra domabant, aliiſque id genus graviſſimis mortificationibûs corpus ſuum diſcruciabant. Ne autem in hujuſmodi auſteritatibus aut indiſcretio, aut propria voluntas locum habere poſſet, hinc ordinavit S. Pater, nullus ut Religioſus in ſimilibus extraordinariis ſe exercere præſumeret, abſqe præſcitu, conſenſu, ac Benedictione Superioris. Indè ortum ſuum habent ſchedæ, ut vocamus, quadrageſimales, quæ etiamnum in benè regularis Monaſteris in uſu habentur. Sed jam hoc tempore alia

in medium non afferimus, nisi paucas oratiunculas & exiguas mortificationes, ubi simul fateri cogimur, nos à rigore primorum Ordinis nostri Parentum longè admodùm deflectere: bonum tamen est, atque salubre, quòd hæc nostra licèt exigua opera extraordinaria Pœnitentiæ tam per decursum quadragesimæ, quàm nonnullis etiam anni diebûs cum voluntate ac benedictione Superiorum peragenda suscipiamus: ea siquidem, quæ Religiosus ex proprio facit arbitrio, nullatenùs in comparationem veniunt cum illis, quæ ex obedientia fiunt.

Distributio temporis per quadragesimam hodiè apud nos est fermè eadem, quæ per annum in diebus jejunii Ecclesiastici servatur, exceptô, quòd vespere adhuc antè meridiem immediatè post officium conventuale celebrentur; cujus hæc potest esse ratio: antiquitùs, immò etiamnùm annô 1160. is erat mos, ut illis diebûs, in quibus per anni decursum nullum incidebat jejunium Ecclesiasticum, finitâ Missâ & sextâ canonicâ prandium horâ duodecima sumeretur. Diebus autem jejunii Regularis Missa conventualis post decantatam nonam primùm ad horam tertiam pomeridianam celebrabatur, quô demùm finitò cœnabant. In quadragesima Summum Officium usque post horam tertiam vespertinam differebatur; posteà decantabat vesperas, & circâ

quin-

quintam cœnæ accumbebant, nec priùs, nec postea quidquam degustantes: & idcircò hæc erat mensæ benedictio: *Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ:* ubi præterea benè notandum, non modò Religiosos, sed & Clericos cum Laicis in quadragesima ad vesperam primùm, ut diximus, refecisse, idque adhuc tempore Sancti Bernardi, qui Serm. 5. Quadrag. ita suos alloquitur Religiosos: hactenùs per annum ad horam usque nonam duntaxat (quæ apud nos est tertia Vespertina) jejunavimus: nunc autem (in quadragesima) nobiscum jejunabunt usque ad vesperum omnes Reges ac Principes, Clerici cum populo, nobiles & ignobiles, omnesque pariter, divites æquè ac pauperes, &c. ita loquitur hic Sanctus Pater. Ubi rursùs observanda infirmitas (veriùs dicam: miseria) nostrorum temporum; eò usque enim deventum jam est, ut nequidem Religiosi ad refectionem sumendam plenè exspectare possint (vel certè non nisi ægerrimè) usque ad meridiem, seu horam 12. & quamquàm diebûs jejunii nunc temporis adeò maturè ad mensam accumbamus, consveta tamen ciborũ benedictio hæc est: *ad cœnam vitæ æternæ &c.* Quod ferè nonnunquàm ruborem inducere deberet ingenuo Religioso: verumtamen non multùm hac super re disputandum est, cùm hodiè per totam ferè Ecclesiam hæc consuetudo observetur, quæ

ex eo

ex eo fortè suam duxit originem, quòd Ecclesia non ampliùs permittat, post meridiem, saltem post horam tertiam vespertinam celebrari missas: cùm itáque hodiè missa conventualis adhuc antè prandium celebrari debeat, antiquo autem more immediatè post illam vesperas decantaverint, iisque finitis cœnæ accubuerint, hinc ea consuetudo ad nos usque dimanavit & officio Conventuali mox annectimus vesperas, iisdemque completîs cœnam sumimus. Cùm igitur jejunia nostra etiam quadragesimali tempore adeò mitigata sint, admodùm benè & laudabiliter illi faciunt Religiosi, qui in collatione, ut vocamus, vespertinâ strictè procedunt, exiguâque refocilliatione contenti sunt, ne jejunium penitùs exolevisse videatur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 50.
De fratribus, qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt.

PRæter illas rationes, quas hôc locô Sanctus Benedictus insinuat, plures adhuc emergunt, ob quas nonnunquàm unus aut alter ex Religiosis à choro eximitur. Talis autem recitationem Breviarii sui omnibus aliis anteponat negotiis. Præ cunctis enim aliis suum

suum sibi pensum DEUS exhiberi postulat, utpotè qui primò & maximò ad id jure gaudet: ubi hoc ordinat S. Pater, ut talis *cum tremore divino flectat genua*, & sacræ *servitutis suæ pensum* extra chorum cum vera devotione DEO reddat. Ratio tamen aliqua occurrere posset, ob quam Religiosus hujusmodi standô, aut ex notabili omninò causâ etiam ambulandô horas suas canonicas cum magna tamen Reverentia erga præsentem Divinam Majestatem exsolvere posset. Defatigatis, infirmis, aut Senioribus Religiosis vitio verti nequit, si sedendo breviarium recitent. Antiqui Parentes nostri, quando ex necessitate itineris ad horas canonicas genuflectere non poterant, eum defectum posteà recitandô Psalmum *Miserere* supplebant.

ANIMADVERSIO
Super Caput 51.
De fratribus, qui non satis longè proficiscuntur.

MAgnum piaculum reputat Sanctus Benedictus, & inter notabiliora delicta reputat, si quisquam è suis Religiosis negotii vel deambulationis gratia extra Monasterium constitutus, ibidem absque necessitate aut licentiâ cibum potumve accipiat: idque etiam DEO magnoperè displicet, in tantum, ut e-

tiam

tiam Sancti Patri occulta hujúsmodi discipulorum suorum delicta nonnunquam revelaverit, ut Sanctus Gregorius Papa lib. 2. Dialog. in Ejus vita commemorat. Quod tamen Religiosi quidam parvi pendunt. Et quamvis domi in Monasterio sufficienti ac delicatô cibô & potu nutriantur, exiguum tamen illud, quod in locis extra Monasterium percipiunt, multò suavius ipsis videtur, conformiter ad illud Proverb: 9. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Stulta sanè ac perniciosa apprehensio! & certè hoc sapientis dictum sæpenumerò verificatur inter Religiosos. Existimamus quandoque, nos gratificari hominibus, si ad compotandum &c. ipsos conveniamus; *Et incipimus magis displicere ex morum improbitate in nobis consideratâ.* Imit. Christi lib. 1. cap. 8. cujus rei multa testimonia mihi suppeterent. Denique communi proverbio adstipulandum est, quòd nullibi major in oratione devotio, nullibi dulcior in cibo ac potu sapor, nullibi securior in somno quies, ac domi, reperiri possit, cùm ibi divina sit Benedictio, & conscientia tranquilla; ergò faciamus similiter. &c.

ANIMADVERSIO
Super Caput 52.
De Oratorio Monasterii.

CApitulum hoc quoad litteram clarum est, salutaria omninò monita continens: nec

alia

alia animadversione opus est, quàm, ut seriò illud observare conemur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 53.
De Hospitibus suscipiendis.

IN hoc capitulo quædam puncta necessariò advertenda, ac declaranda sunt: F. primò quidem notandam, S. Patrem expressè hôc locô cavere, ne conventus Religiosus quoslibet incertis temporibûs advenientes hospites inquietetur (secùs enim nec Divina officia quietè ac commodè celebrari, neque ullus ordo aut distributio temporis constanter servari posset) ; cùm igitur, ut hîc loquitur S. Pater, ipsaque docet experientia, *hospites nunquàm desint monasterio*, clarum est, non velle S. Patrem, ut cæremoniæ hîc præscriptæ cuilibet hospiti exhibeantur. Secundò inter ipsos hospites discernendum est: quidam enim majoris sunt dignitatis, ut Cardinales, Nuntii Apostolici, Episcopi, Visitatores, Principes, Comites, &c. quidam minoris sunt dignitatis, & in medio statu constituti. Tertiæ demùm classis sunt peregrini & pauperes. In his omnibus Christus considerandus & suscipiendus est, non tamen æqualis honor omnibus tribuendus. Cardinales, Nuntii Apostolici, Episcopi, ab Abbate totóque Conventu profunda inclinatione, osculô manuum, aliisque

ísque præscriptis cæremoniis excipiendi, postea honorificè ad Ecclesiam deducendi, ac de reliquo omni possibilî humanitate tractandi sunt. Lotionem pedum (tempore Sancti Benedicti pro majori hospitum commodo apud Religiosos usitatam) procul dubiò nec isti, nec alii hospites admitterent. Personis medii statûs tantus honor non impenditur, ut jam dictum: sed tamen ab officialibus ad id munus constitutis cum honore ac charitate excipiuntur, eisque pro ratione statûs inservitur. Osculum pacis, cujus usus olim tam Sanctus in primitiva Ecclesia, totaliter jam sublatum est, neque moderno tempore citrà malam interpretationem ac scandalum adhiberi posset. Neque cuilibet hospiti gratum foret aut commodum, si mox in primo adventu ad orationem in Ecclesiam deducerentur: quarè ex gravibus causis hoc intermittitur. Lectio Sacræ Scripturæ coràm hospitibus à principio mensæ variis adhuc in locis laudabiliter viget, & optandum omninò, ut in omnibus nostris Monasteriis hæc consuetudo denuò vigere inciperet. Peregrini ac pauperes, in quibus eò certiùs Christus suscipitur, cùm sint ex fratribus ejus minimis, internô tamen eorum constitutione DEO relictâ) à janitore cum omni charitate ac patientia audiendi sunt: postea verò ipsorum petitio ac necessitas cum omni promptitudine voluntatis ad officiales deferenda,

renda, ipsique pro viribus adjuvandi sunt. Et tali demùm modô voluntatem S. Benedicti adimpletum iri speramus. Præterea ad mentem Regulæ faciunt illi, qui prætereuntes coram se hospites salutant, eisque inclinatione capitis debitam exhibeat reverentiam, prout ad finem hujus capitis præscribitur. Magna quies est Monasterio, quamdiu desunt hospites: at verò illis cum charitate, patientia, atque obediendi studiô inservire, res cœlô digna est, secundùm æternæ veritatis eloquium.

ANIMADVERSIO

Super Caput 54.

Quòd non debeat Monachus litteras vel eulogia accipere sinè jussu Abbatis.

ARgumentum hujus capitis supra declaravimus, ubi de voto paupertatis. Hîc solùm advertè, nomine hujus vocabuli: *eulogia*, quô utitur S. Pater, non tantùm intelligi panem benedictum, (qualem olim fideles in signum Christianæ unitatis, aut fraterni amoris sibi invicem mittere consueverant) sed etiam alia munuscula, aut salutationes certîs donis expressas. Talia quidem & his similia cum facultate Superiorum mitti & acceptari possunt; attamen, si amor aut familiaritas his rebus in tantum affixa esset, ut iis cessantibûs

bûs refrigesceret affectus, & amicitia penitùs sustolleretur, tales homines dementiores pueris essent, majorique periculo obnoxii: nec veram charitatem habentes, nec Religioso nomine digni. Sed piet, his ineptiis diutiùs immorari.

ANIMADVERSIO
Super Caput 55.
De Vestimentis & calceamentis Fratrum.

CUm Sanctus Benedictus omnem modum disponendi de vestibus necessariis judicio ac voluntati Superiorum expressis verbis relinquat, opus non est, ut Persona Religiosa multùm disputare velit, quidnam sint, aut significent *pedules, caligæ, bracile*, &c. quæ in hoc capitulo nominantur, sed tutè illis omnibûs uti poterit, quæ superiores pro necessariis usibus concesserint. Et cùm in frigidis regionibus degamus, hinc pro tunicis villosis in Regula præscriptis pelliceæ vestes nobis conceduntur. Vult hôc locô Sanctus Pater, materiam vestium non debere esse pretiosam, aut ex serico, &c. sed talem, quæ in quibuslibet locis minimô pretio comparari queat. De quo terribilem historiam juvat adducere, ex qua dignosci poterit, quanta transgressores Regulæ hujus pœna maneat.

Præ-

Prælatus quidam in Saxonia, non contentus iis pannis pro vestitu suo, qui in illa Regione inveniri poterant, quotannis sibi ex Flandria rarioris ac pretiosioris materiæ pannos afferri curabat. Eô demùm mortuô, Religiosi vestes ab eo relictas inter se partiuntur, Prior autem Monasterii tunicam unam sibi reservavit, quam cùm in festo aliquo solemniori induisset, mox horrendùm cœpit vociferari ac ejulare, quasi candentibûs ex ære laminis ureretur. Mox verò ut vestem detestabilem procul abjecit, hæc ad instar ferri candentis ignitas scintillas evomuit. Quod cùm cæteri contuerentur, pavore magno exterriti, sinè mora, quidquid de abominandis illis vestibus sibi vendicârant, in unum cumulum projecerunt, unde etiam, tanquam ex fornace succensa innumerabiles scintillæ prosilierunt, idque tamdiu, quousque vicini Prælati convenientes, terribile hoc DEI judicium suismet oculîs conspexissent. Ex lib. de Viris Illust. Ord. Cisterc. Si vestes istæ usqueadeò conflagrârunt, quantis in ardoribus misera contabescet anima! avertat à nobis DEUS, ne molles hujusmodi vestes appetamus, multô minùs procuremus.

Simili modô & calcei Religiosorum simplici opere, absque omni sæculari fastu convecti sint, oportet, non altis soleis, non sericîs ligaturis, aut hujuscemodi vanitatibûs in-

structi. Colorem quod attinet, fieri equidem potest, quòd tempore Sancti Benedicti in ipsis etiam externis vestibus diversi colores admissi fuerint, aut tolerati, nunc autem jam ab aliquot sæculis Ecclesia DEI, & sacer Ordo constituit, ut nos Benedictini universim non alio habitu, quàm nigrô uteremur, propter quod etiam in Jure Canonico Monachi nigri compellamur. Vestes autem interiores diversi coloris esse possunt, de quibus, utì nec de asperitate vestium, Monachi nullatenùs causari debent. Docet præterea S. Regula, & votum paupertatis exigit, ne Religiosus vestes suas antiquas aut detritas ex proprio arbitrio pauperibus dare possit; quod jam concernit lotionem vestium, sciendum, Monachos nostros antiquos eatenùs in vestibus dormivisse quatenùs de nocte mox surgentes sinè aliis vestibus ad matutinum occurrere potuerint. Illucescente autem die majori ex parte honestioribûs vestimentis induebantur; unde etiam à S. Patre permissæ ipsis erant *duæ tunicæ, & duæ cucullæ, propter noctes, & propter lavare ipsas res &c.* quando præscribit Regula, ut omnia necessaria Religiosis ab Abbate subministrentur, id intelligendum non est, quasi hæc immediatè ab ipsius Abbatis manibus recipienda essent, sed sufficit, si fiat ab officialibus ad hoc constitutis. Tandem, quòd S. Benedictus tam seriò præcipiat Abbati, ut

ti, ut lectos Religiosorum sæpiùs perscrutetur, hæc ratio est: quia videlicèt eo tempore Monachi non in separatis cellis, sed in communi loco tam de die, quàm de nocte morabantur: & hinc, si quis furtivè aliquid retinere voluisset, haud ullibi commodiùs, quàm in lectulo suo abscondere poterat. Hinc frequens sollicitudo Superioribus incumbebat, ut suorum lectos iteratis vicibûs excuterent, ne fortè ullus quidquàm absque licentia ibidem reservaret, aut absconderet. Moderno tempore expediret, cellas nonnunquàm visitari à Superioribus, ad explorandum, si fortè res aliquæ prohibitæ, superfluæ, aut furtivæ inibi contineantur.

Quemadmodum igitur omnia necessaria in vestibus, lectorum stramentis (quæ etiam in frigidis nostris Regionibus paulò plura, quàm in Regula assignantur, esse debent) aliâque supellectili conceduntur, ita omnis superfluitas paupertatis voto adversatur. Tu paucîs, iisque necessariîs duntaxat, contentus esto, ut pauperem Christi decet. Nec in omni re abundare velis, quod proprium est divitibus sæculi.

ANIMADVERSIO
Super Caput 56.
De Mensa Abbatis.

DUbitant nonnulli, an Sanctus Benedictus in communi refectorio cum fratribus, vel

vel in Abbatia sua mensam privatam habuerit? sed parùm profectò rei hujus interest, si modò capitulum illud ad litteram benè observetur. Notandum tamen, mensam Abbatis ipsius esse mensam, omnemque hospitalitatem, quæ ibi exhibetur, ad ipsum referri debere, quamquàm in propria persona non semper præsens sit Abbatia, sed alibi, quàm in Refectorio, mensam habeat.

ANIMADVERSIO
Super Caput 57.
De Artificibus Monasterii.

TExtus, & mens SS. Patris in hoc capitulo satìs clara sunt & salubria, fiat itaque, ut per omnes artes, operas, scientias, emptiones, & venditiones Religiosorum nostrorum DEUS glorificetur, & proximus ædificetur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 58.
De Disciplina suscipiendorum fratrum.

CUm à susceptione Novitiorum, præsertim ad professionem, salus & incrementum spirituale Monasterii, immò totius Ordinis dependeat, hinc adeò luculenter hâc de re tractat hôc locô Sanctus Benedictus. Et primò

mò quidem vult, ne mox præbeatur assensus illis, qui suscipi rogant in Monasterio. Si persona aliqua ob spem divitiarum, vel ob talent a naturalia ad Monasterium allicitur, rarò felicem exitum sortitur: quod tristibûs exemplis confirmari posset. Secundò vult Sanctus Pater, magnoperè attendendum esse, quâ intentione talis suscipi petat, nam scilicèt verè DEUM quærat. Experiendas insuper esse inclinationes ipsius, ac spiritum, & invigilandum, an promptè accuratè ac sollicitè ad Divinum officium occurrat, illudque peragat: an velox ad obediendum, an patiens sit? hæc si reperiantur in supplicante, absque periculo suscipi potest, etsi cæteroquin adhuc incultus sit, & ut ita loquar dolabra indigeat. Imprudentia foret haud exigua, si neminem vellemus sucipere, nisi jam perfectum. Si plurimi ex veteranis adhuc perfecti non sunt, qua ratione id in novitio desiderari poterit? Si modò sit bonæ voluntatis, & spes affulgeat, cum aliquandò in bonum Religiosum evadere posse, ad ulterirorem probationem tutò admitti poterit. 3. Regula quidem constituit, ut Novitij una cum Magistro suo in cella, seu cubiculô separatô degant, ibidémque legant, meditentur, comedant, dormiant, &c. moderno autem tempore, & his in locis non tantùm cum cæteris in Chorum ad Divinum officium, & ad Refectorium, sed etiam ad o-

mnes alias communes ordinis functiones admittuntur, ut sic maturè discant portare onera communia, & faciliùs ab aliis observari possint. Neque existimandum, nos hoc in puncto contraire voluntati Sancti Benedicti. 4. Tempore Sancti Patris Novitii vestes suas sæculares ad diem professionis usque retinebant, (prout patet ex hoc capitulo) hodiè autem ex constitutione ordinis, immò etiam Ecclesiæ, habitu sibi conveniente induuntur, cùm æquè, ac cæteri, privilegiorum Canonis & fori participes sint. 5. Cùm tēpore S. Benedicti nondum inventa fuerit ars Typographica, videtur, quòd à principio Ordinis non cuilibet novitio traditus fuerit libellus aliquis Sanctam Regulam continens, unde etiam à S. Patre præscriptum fuit, ut per annum probationis tribûs vicibûs integra ipsis Regula cum suis septuaginta tribus capitibus prælegeretur, ut scirent, ad quem finem in Monasterium venissent. Hodie autem, ubi cuilibet Novitio libellus aliquis Regulæ traditur, facilè ipsimet ex lectione illius intelligere possunt, quales obligationes in se contineat. Quapropter prælectio illa Regulæ ternìs vicibûs repetenda haud quaquàm ampliùs necessaria est: non tamen intermittitur in nostris locis hæc observatio, ut tyronibus durante Novitiatu sacra Regula ad tres vices successivè tamen, prælegatur & explicetur, quâ ra-
tione

tione procul dubiô satisfit voluntati Sancti Patris Benedicti. 6. Cur Sanctus Pater hôc locô in formula professionis nullam paupertatis ac castitatis mentionem faciat, initiô diximus super Caput primum. 7. Nec sacer Ordo, nec Ecclesia permittunt ampliùs, ut vestimenta sæcularia Religiosorum eum in finem asserventur, ut si successu temporis perversos mores induerent, iisdem vestibûs reinduti è Monasterio pellantur. Sed locò hujus tales inquieti ac perversi Monachi carceribus includuntur, ne quemquam vel intrá, vel extrà Monasterium scandalizare aut inquietare possint.

Id denique bonus DEUS efficiat, ut omnes, quotquot ab Ipso in Ordinem nostrum præordinati sunt, tales inveniant Patres spirituales, qui apti sint ad lucrandas ipsorum animas. Res ardua est atque difficilis, susceptio tyronum in Ordinem, æquè enim felicem, ac infelicem exitum sortiri potest. Ejusdem difficultatis atque periculi est, aliquem quacunque ex causa repellere. Si unquàm aliàs, certè hac in re summoperè necessaria est gratia Divina.

ANIMADVERSIO
Super Caput 59.

De filiis nobilium, vel pauperum, qui offeruntur.

IAm ante tempora Sancti Benedicti permissum erat, ut Parentes filios suos adhuc tenellos, septimô videlicèt, aut octavô ætatis annô

Monasteriis offerre possent, non tantùm ad scholas, pro addiscendis artibus, sed etiam ad suscipiendum mox Ordinem, ità, ut tales pueri vel puellæ non ampliùs deinceps ad sæculum regredi potuerint. Déque similibus multa leguntur exempla. His autem nostris temporibûs constituit Ecclesia, ne ullus unquàm ad Novitiatum admittatur: nisi completô ætatis annô decimô quintô, neque ad professionem, nisi completô annô decimô sextô. Hinc nullus ampliùs locus est cæremoniis in hoc Capite præscriptis. Quod concernit bona temporalia, standum est voto paupertatis, vî cujus cuilibet Religiosorum omni proprietariâ etiam unius obuli possessione, & inordinatô ad quamcunque rem affectu interdum est.

ANIMADVERSIO
Super Caput 60.
De Sacerdotibus, qui voluerint in Monasterio habitare.

PAtet ex hoc Capite, in principio Ordinis nostri complura Monasteria vix unum habuisse Sacerdotem, sed solos inibi Conversos habitâsse: concedit siquidem Sanctus Pater, ut, si quis de Sacerdotibus Ordinem ingrediatur, primô post Abbatē locô honoris gratiâ collocari possit, quod certè incōveniens fuisset,

ſet, ſi jam antea plures è Religioſis Sacerdotes inibi extitiſſent, & tamen advenienti de novo Sacerdoti locum honoratiorẽ cedere debuiſſent. Videtur etiam colligi, primis temporibûs Ordinis non quovis die, ſed Dominicis duntaxat atque feſtivis Miſſas fuiſſe celebratas. Sic enim eluceſcit ex Capite 35. ubi præcipitur hebdomadariis culinæ, ut conceſſum jentaculum differant, donec Miſſa finiatur. Et Capite 48. de opere manuum, & diſtributione temporis nulla fit mentio miſſæ quotidianæ, &c. De reliquo, quamvis conceſſum fuerit Sacerdoti hujuſmodi, poſt Abbatem ſtare, certîs tamen caſibûs locum poſſeſſionis ſuæ tenere debebat. Alias textus hujus Capitis ſat clarus eſt.

ANIMADVERSIO
Super Caput 61.
De Monachis peregrinis, qualiter ſuſcipiantur.

OLim non omnes Monachi, adeò ſtrictè ad locum profeſſionis ſuæ alligati erant, quò minùs ipſis aliò tranſire licuerit. Hinc non-rarò factum, ut quidam ipſorum majoris perfectionis adipiſcendæ ſtudió ad alia ſeverioris diſciplinæ Monaſteria commigrârint, quamquàm non fuerint, qui quadam vertigine Spiritûs acti (ut Gyrovagi) ab uno Monaſterio

rio in aliud liberè digrediebantur. Omnibus his saluberrimè hôc locô providit Sanctus Benedictus; hodie vix alios peregrinos Religiosos reperire est, præter illos, qui fortè bellorum incursibûs, incendiis, aliisvé necessitatibûs è suis Monasteriis fugere coacti alibi asylum quærunt, vel denique aliàs in itinere constituti sunt. His meritò omne auxilium ac charitas præstanda est, eâ tamen discretione, quàm Sanctus Pater hic innuit, ac præscribit.

ANIMADVERSIO
Super Caput 62.
De Sacerdotibus Monasterii.

CUm à principio Ordinis nostri, ut sæpè jam insinuavimus in unoquoque Monasterio vix unus fuerit Sacerdos, hinc magno subjacebant tales periculo, ne ob ipsam statûs sui eminentiam super alios se extollerent. Unde hôc locô Sanctus Pater tam seriò ipsos adhortatur, & humilitatem inculcat; in qua ut persisterent, ordinavit, ut in loco Professionis suæ etiam inter conversos seu Laicos tamdiu permanerent, quoadusque ab Abbate ad altiorem locum eveherentur. Cùm autem moderno tempore Religiosi si non omnes, saltem plerique ad Sacerdotium assumantur, mi-

norem

norem utique causam ob hanc dignitatem superbiendi habent.

De cætero, cùm juxtà Sanctum Joannem Chrysostomum, quo major Sacerdotum dignitas, eò majus sit etiam periculum, hinc optimum omninò Consilium Religiosus ille sequitur, qui totum DEO ac Superioribus committit, an, & quandocunque ad Ordines ipsum mittere voluerint. Qui verò hac in re nimiùm præfervidus ultro se insinuat, aut omninò forsitan importunis instantiis quasi extorquet, ut à Superioribus ad Ordines dimittatur, talis suo tempore angores conscientiæ in se experietur. L. 1. Codicis, tit. 3. L. *Si quemquam*. Notabilis hæc reperitur sententia: nullus profectò dignus est Sacerdotiô, quàm qui ad illud suscipiedū cogi debet S. Hieronymo suum ad Heliodorum scribit: Si Confratres tui ob pietatem & benignitatem suam te Sacerdotiô initiari volunt, congratulabor equidem honori tuo, sed tuam pariter timebo ruinam. Omnia hæc satis apposité ad rem præsentem dicta sunt. Cætera huc pertinentia pro Sacerdotibus nostris, in hoc Capitulo reperire dabitur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 63.
De Ordine Congregationis.

CApitulum hoc nostris in locis satis exactè servatur, nisi quòd Clerici Laicos sem-

per antecedant. Suus etiam cuilibet Professo locus deputatus est, non computando à die vel horâ primi ingressûs in Monasterium, sed â die Professionis; tunc enim, & non antea inter membra Congregationis numerandus est, juxta Caput 58.

Non permittit Sanctus Pater Benedictus, ut Religiosi ipsius alterutrũ se puro nomine compellent; & quid de illis sensurum putamus, qui incuriosis ac fædis cognominibûs se mutuò de honestare non dubitant?

Petitio Benedictionis, facienda, dum junior antè seniorem transit, potiùs in humili reverentia per inclinationem exhibendá, quàm in verbis consistit. Tandem pueri scholares aut mensales à quolibet corrigi & admoneri possunt; sed punire ipsos, nemini, præterquàm eorum Magistris convenit.

ANIMADVERSIO
Super Caput 64.
De Ordinando (seu eligendo) Abbate.

DUbiô procul quidam hôc locô scire expeterent, utrùm ElectioAbbatis per quãliber, etiam minimã cõventûs Partẽ facta pro ratâ ac validâ haberi possit? sed cùm hanc materiã pro simpliciorûm duntaxàt bono tractare intenderĩ, hinc supersedeo tàm huic, quã aliis modis ac for-

mis

mis eligendi Prælatum; id tamen juniores Religiosos velim admonitos, magnum ipsos animarum periculum subire posse, si in simili Electione non digniores, sed personam aliquam magis charam: sed minùs dignam, minusque aptam (contrà Sanctum Juramentum) eligerent. Nolo ego ad has nobilissimas atque Sanctissimas doctrinas, quas hoc in Capitulo S. Benedictus cuivis Abbati observandas proponit, quidquam de meo addere, sed magna cum reverentia illas ut donum Spiritûs Sancti exosculor, Deumque animitus precor, suam ut gratiam omnibus nostri Ordinis Præpositis impertiri dignetur, quatenùs hæc saluberrima documenta attêtè simul & reverêter legere, suumque Regimen illorum normam conformare queant: quô factô tam ipsorum, quàm subditorum animæ, immò totius S. Ordinis Flos ac Salus in tuto collocabuntur.

ANIMADVERSIO
Super Caput 65.
De Præposito Monasterii.

CUm hîc locorum in Nostris Monasteriis non ampliùs eligi soleant tales Præpositi, quales in hoc Capitulo memorantur, hinc non jam metuenda illa damna ac incommoda, quæ olim fortassis indè sequebãtur. Fieri tamen po-

poteſt, ut *invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones ac exordinationes*, quæ hic memorantur, ex aliis fontibus, inſtigante dæmone oriantur. Tale autem Monaſterium, in quo hæc dominantur, non jam Monaſterium, ſed infernus eſt, & ex mente Sancti Benedicti, animæ Religioſorum hîs malis infectæ *eunt in perditionem* æternam. Ubi charitas & concordia, ibi DEUS, ibi larga Benedictio Divina: ubi autem invidia, odium, ac diſcordia, ibi plenum dæmon exercet dominium. Vera charitas ac concordia non niſi per patientiam Chriſtianam conſervari poſſunt. Tu cave, ne talibus animorum diſſenſionibus unquam te immiſceas; & ſi jam es implicitus, rumpe laqueos, teque extricare ne differas; ſecùs decipieris, quamquàm te rectè ſentire exiſtimes. Sed jam abundè ſatis dictum de amaritudinibus hiſce amariſſimis.

Nomine Præpoſitorum adhuc quidem inſigniti ſunt Religioſi nonnulli extrà Monaſteria in quibuſdam dominiis, ſeu, ut vocant, Præpoſituris conſtituti. Sed circà hos non eſt tale periculū, cum ab Abbate promoti, denuò ad nutum in Monaſterium revocari queant. Verba S. Patris ſunt hæc: *ideòque nos prævidemus expedire, propter pacis charitatiſq; cuſtodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterij ſui.*

ANI-

ANIMADVERSIO
Super Caput 66.
De Ostiario Monasterii.

OMnia propemodùm cænobia duplicem habent portam: unam exteriorem, alteram interiorem, versùs conventum, à qua incipit clausura. Exteriori portæ nostris in locis non præponitur Religiosus, sed sæcularis, discretus tamen, prudens, promptus, ac sollicitus. Quod, ut speramus, omninò non est contra mentem Sancti Benedicti. Siquidem circa portam exteriorem tales nonnunquàm occupationes, in stabulis, & alibi occurrunt, quæ Religiosum prorsùs dedecerent. Præterquàm, quòd ex utroque sexu incauti homines non raró ad portam Monasterii satìs importunè accurrant, ut adeò Religiosi in conscientia, vel bonâ famâ periclitari possent. Circà portam interiorem, seu clausuram Regula ad litteram accuratè servari potest. Pretiosum illud: DEO *gratias*, (quod Beatissima VIRGO Deipara jugiter in corde & ore ferebat, ut de illa testantur Sanctus Bonaventura, & Antonius) non tantùm ex cella ostiarii, sed etiam ex cellis Religiosorum auditur, dum aliquis ostium pulsat. Vel etiam ad mentem Regulæ: (DEO *gratias respondeat, aut benedicat*) ab intròeunte personâ, si specialibûs instructa sit qualitatibûs,

bûs, benedictio postulari poterit. Si autem is, qui ingreditur, inferioris conditionis sit, ipsimet benedictio impertiri poterit.

CùmS. Benedict9 mentionem hîc faciat de structura Monasterii, constituens, ut, si fieri possit, Monasterium ita construatur, ut omnia necessaria, horti, fontes, artes diversæ, &c. intrà Monasterium sint & exerceantur; præterire non possum, Majores nostros commodè quidem, id est, cum necessariis supradictis, exstruxisse sua Monasteria, rudi tamen ac simplici opere, sinè splendore aliquo externo. Ecclesiæ erant tenebrosæ, atria humilia ac depressa, cellæ angustæ: verbô, omnia Sanctam paupertatem ac simplicitatem loquebantur. Hodiè non æstimantur nisi structuræ sublimes, amplæ, perlucidæ, splendidæ, amænæ, pretiosæ, ac commodæ: an autem hac ratione perfectiùs DEO serviamus, ac placeamus, ignorô. Existimarem sanè, operæ pretium facturum illum, qui in uno Catalogo eos omnes Religiosos consignaret, qui ex hujusmodi splendidis ac sumptuosis ædificiis in Sanctorum numerum fortè pervenerunt: timerem autem, ne vel paucos, vel plenè nullos esset reperire. Ubi è contrà multæ centuriæ, imò multa millia eorum recenseri possunt, qui ex paupere, angustâ, ac humilî cellâ, imò ex cavernis, & abjectîs angulîs in cœlum, & insuper in Sanctorum numerum canoni-

nonicè relati sunt. Non est necessum, procul digredi in Bethleem ad vile stabulum, non in Nazareth ad parvum illud tugurium, non in Ægyptum ad speluncas solitudinum, nec etiam in Sublacum, ad angustissimam specum Sancti Patris nostri; sed tantùm modò in vicinium convertamus oculos, & dispiciamus, qualia Palatia incoluerint Sancti Patres nostri antiqui, qui Ordinem nostrum in has Provincias, in hæc loca invexerunt, atque plantarunt. De S. Gallo cantatur:

Et Cella Galli parvula
Vicina cœlo jungitur.

De Sancto Martyre Meinrado, & his, qui proximè post illum vixere, pariter constat, quàm exiguas cellulas inhabitaverint. Simile quid legitur etiam depotissimis Monasteriorum nostrorum Fundatoribus, qui ex Eremitoriis, exiguisque tuguriis, Divinæ benedictionis auxiliô tam arduum opus aggressi feliciter consummârunt. Et altero sexu Sanctæ Virgines ac Viragines nostri Ordinis penè omnes ex angustis suis cellulis, (uti S. Wiborada, Itta &c.) ad tantam Sanctitatem pervenerunt.

Non tamen hæc scribens improbare intendo, si ad honorem DEI speciosæ, amplæque construantur Ecclesiæ, splendida ac sumptuosa Monasteria, commodiores ad refrigerationem

cellæ ædificentur, &c. Sed hoc duntaxat intendo, ne juniores Religiosi humiles ac simplices cellas facilè contemnant, neque inordinatè affectent, aut nimiùm æstiment structuras pretiosas, multò minùs alia Monasteria non adeò splendida despiciant.

Huc pertinet historia aliqua, quam in libro illo celebri *de Viris Illust. Ord. Cisterc.* hôc ferè modô descriptam invenies: Cùm Reverendissimus Dominus Abbas Cisterciensis, qui Generalis, & quodammodò Archimandrita est totius hujus celeberrimi Ordinis sub Regula Sancti Benedicti militantis, die quodam Sanctam aliquam Virginem magnæ abstinentiæ ac corporis rigoribus assuetam in visisset, cùm eâque de rebus spiritualibus sermones varios miscuisset, ultimò demùm multis precibûs apud eam institit, quatenùs à DEO impetrare vellet, ut sibi revelaret, qualesnam defectus in Ordinem Cisterciensem ex negligentia vel incuria forsitan subintraverint, magisque perfectioni statûs Religiosi obessent. Petiit S. Virgo inducias, factâque oratione hoc Abbati responsum dedit: Domine, hoc vobis notum sit, tria esse, quæ oculis Supremæ Majestatis in Ordine vestro singulariter displicent, videlicèt copia bonorum temporalium, superfluus splendor ædificiorum, & lascivia vocum in Laude Divina. Hucusque revelatio ista. DEUS omnia nobis necessaria

beni-

benignus impertiatur, & quidquid Divinos ipsius oculos offendere posset, avertat.

Verbis illis, quæ Sanctus Pater hîc adeò notanter, ponit, quòd scilicèt vagari extra Monasterium omninò non expediat animabus Religiosorum, quidam non priùs habere fidem volunt, quàm eorum veritatem damnô suô experiantur. Sæpenumerô enim contingit, quòd Religiosus importunitate sua vel astutiâ à Superioribus extorqueat, ut amicos suos visitare permittatur. Quod ubi factum, & denuò in Monasterium revertitur, læsam & inquietam secum fert conscientiam, ob ea, quæ vidit, audivit, fecit &c. unde longo tempore distractus ac desolatus manet, multîsque opus est, ut quietem pristinam iteratò recuperet. Tunc primùm talis repetitîs singultibûs ingeminat: ô! si nunquàm è Monasterio digressus fuissem! magnôque suô detrimentô veritatem horum verborum S. Patris experitur.

Tandem præscribit hôc locô Sanctus Benedictus, Regulam sæpiùs in congregatione legendam esse, *ne quis fratrum de ignorantia se excuset.* Quare conformiter ad mentem Sancti Patris, in his locis nostris quotidie bis legitur aliquid publicè ex Regula, omninò autem congruit, ut Religiosus privatus hîs non contentus, insuper in cella sua quotidie ad unam vel alteram vicem legat aliquid ex Regula; siquidem Spiritus S. Patris haud a-

libi majori plenitudine hauriri poterit, quam, ex attenta lectione S. Regulæ ipsius. Cúmque aliquot capitula inibi contineantur, quæ privatos Religiosos aut parùm aut nihil concernunt, selectus fieri poterit in lectione, & quandoq; talia capitula præteriri. Ubi tamen conveniens est, ut Religiosus suîs temporibûs integram Regulam de verbo ad verbum perfectè revolvat.

ANIMADVERSIO
Super Caput 67.
De Fratribus in via directis.

SAnctus Pater noster hujus semper mentis fuit, Religiosum etiam obedientiæ causâ extra Monasterium degentem, in magno semper periculo versari. Indè est, quòd præceperit. 1. Ut itinerantes orationibus Abbatis atque conventûs se commendent. 2. Ut ad finem Divinæ Psalmodiæ illorum semper commemoratio fiat. 3. Ut in die reversionis suæ ad omnes horas Canonicas in Choro prostratus humi, à Confratribus pro se orari postulet, ut si fortè vel auditu, vel linguâ, vel quocunque modô in itinere deliquerit, veniam à DEO impetrare mereatur. In hoc puncto multùm à Spiritu Sancti Patris Benedicti deficimus: plerique enim cum gaudio itineri se committunt, & absque præmissa devota

recom-

recommendatione Monasterio digrediuntur, de nullo sibi timentes periculo (cùm tamen haud incognitum nobis sit, piscem extrà aquam non diu vivere posse) videmus præterea, & audimus sinè ullo discrimine, quæ nobis occurrunt, neque desuper multùm angimur; tandem ubi domum repetimus, ea nobis cura in postremis est, quæ meritò deberet esse prima, ut scilicet DEO nos reconciliemus, &c. majori profectò solertiâ nobis ipsis invigilandum esset.

Cæterùm in his locis nostris tali ratione Capitulum istud observatur: 1. Nulli Religiosorum sinè benedictione Superioris è Monasterio digredi licet. 2. Ad finem Divini Officii semper subnectitur illud: cum fratribus nostris *absentibus*: quamquàm non semper attentè. 3. Domum rediens mox iterùm genuflexus benedictionem à Superiore percipit. Hodie commodum haud ampliùs foret, ut revertentes ex itinere in choro se prosternerent, cùm sæpenumerô præsentes adsint Sæculares. Quando Religiosus negotiorum causâ, & procul dimittitur, ferventiùs commendandus est, pluribûs indiget precibûs, majoríque cautelâ.

De reliquo vix credo, ullum punctum S. Regulæ faciliùs observari posse, ac debere, quod tamen minorî pretiô habeatur, quàm dum vult Sanctus Benedictus, ut *non præsumat quisquam aliis referre, quæcunque foris Monasterium*

viderit, vel audierit, quia plurima destructio est. Vult insuper, ut transgressor præcepti hujus *disciplinæ regulari subjaceat.* Hâc tam severâ inhibitione non obstante, vix dum aliquis domum rediit, nullô habitô respectu narrare incipit, quæcunque contigisse novit, quæcunque vidit, vel audivit. Hic nullus verborum finis de cibis illis atque conviviis delicatis, quàm pretiosa illis in locis vina reperire sit, & (quod pejus est) quâ ratione inter hunc & illum inimicitiæ vel discordiæ intercedant, quomodò hic aut ille vitam scandalosam ducat, &c.

Si Religiosus domum redux, ea, quæ aliis in locis bona vidit vel audivit, referat, uti v. g. quòd hic vel illic exacta religiosæ disciplinæ custodia magna concordia ac charitas, accurata statutorum observantia sit &c. non arbitror, talem contrà prohibitionem S. Patris acturum. Si quid referat, quod in se neque bonum sit, neque malum, defectus fortè aliquis non adeò magnus subesse poterit, sermo tamen inutilis ac otiosus erit. Si quid autem scandalosum referat, id certè omni malô pejus erit, magnæque olim rationis reddendæ onus tali destructori irreligioso incumbet. Tandem hôc locô ordinat Sanctus Benedictus, ut disciplinæ regulari *similiter* & ille subjaceat, *qui præsumpserit, claustra Monasterii egredi, vel quocunque ire, vel quidpiam, quamvis*

parvum, sinè Abbatis jussione (licentiâ) *facere.* Vult nimirùm propriam voluntatem penitùs à suorum animis extirpatum iri.

ANIMADVERSIO
Super Caput 68.
Si Fratri impossibilia injungantur.

CApitulum hoc præstantissimum altè imprimendum est animis nostris cujus utpotè observatio multa impediet inutilia murmura, neque levia peccata. Hic autem advertendum, nomine Prioris, quod in hoc capitulo, & alibi sæpiùs usurpatur, tam Abbatem, quàm alios etiam Præpositos intelligendos esse. Cæterùm hoc præcipuè mens est & doctrina Sancti Patris, quòd si Religioso quidquam præciperetur, cui exequendo vires suas impares aut ineptas esse deprehenderet, talis quidem impotentiam suam cum fiducia & humilitate Superiori manifestare possit, si tamen is, hôc non obstante, in sententiâ suâ ac imperio perstiterit, subditum Divino, fretum auxilio oporteat obedire, remque præceptam quô meliori poteri modô exequi. Si jam defectus aliquis intercurrerit, is non subdito, sed superiori imputabitur, cumque ad rationem aliquandò reddendam DEUS adstringet. Meritò hæc doctrina Religioso obedienti magnum

gnum afferat solatium. Præviderat Salvator noster amantissimus, se grave pondus crucis suæ naturalibûs ac ordinariis corporibûs usque ad summitatem mortis portare non posse, obedivit tamen, sublatâ in humeros suos vulneratos ac debiles cruce, eousque illam bajulans, quousque poterat. Sequere & tu vestigia Salvatoris tui, & in similes ausus generosus assurge.

ANIMADVERSIO
Super Caput 69.
Ut in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

SI quispiam Religiosorum adverteret, quâ ratione unus suorum confratrum falsò ad Superiorem delatus fuerit, eaque de causâ in magnam pusillanimitatem, tristitiam, aliúdve damnum inciderit, talis citrà omnem capituli hujus transgressionem, innocentiam confratris sui opportunè ac simpliciter Superiori manifestare posset. Imò id facere tenetur; neque ullô modô hoc prohibet Sanctus Pater, sed quosdam duntaxàt maleferiatos è Religiosis perstringit, qui suâ scandalosa familiaritate, & inordinatô erga singulares quasdam personas affectu eò deveniunt, ut tales defendere, & cohonestare, imò etiam defectus il-

lòrum ac imperfectiones publicè approbare ac justificare non erubescant, non sinè stomacho ac scandalo cæterorum. Tales duplo plus, quàm alii delingventes, puniri merentur (*acriùs coërceantur*) verus Religiosus nullas hujusmodi particulares amicitias, nec singularem quendam affectum ergà certas personas, sed in communi ergà omnes confratres suos veram Sanctam, ac sinceram charitatem prodat, necessum est.

ANIMADVERSIO
Super Caput 70.
Vt non præsumat quisquam, aliquem passim cædere, aut excommunicare.

QUia tempore Sancti Benedicti defectus Religiosorum publici ac notabiles communiter Regulari excommunicatione, vel omninò verberibûs (præcipuè in pueris) mulctari consuêre, noluit tamen Sanctus Pater, quemlibet talem sibi potestatem super delinguentes arrogare posse, sed Superioribus eam esse relinquendam.

Prohibet etiam hôc locô superfluam illam imperiositatem, quam quidam passionati & inquieti Religiosi exercent, dum omnia, quæ fortè in Monasterio non ad amussim fiunt, corrigere, carpere, verbîsque asperis imperte-

re præ-

re præsumunt, cùm tamen id ipsis commissum aut præceptum non sit. Hi tales & seipsos & alios inquietant sinè fructu, imò cum ingenti damno. Præterea sibi ipsis magnam indignationem aliorum conquirunt; gaudendum foret potiùs omni Religioso, qui tam molesto onere alienis defectibus invigilandi liber est. Tales mastyges illud Christi Domini sibi dictum putent: *Quid ad te? tu me sequere.* Joann. 21. hujusmodi furfuris homines plerumque omnium imperfectissimi sunt in Monasterio, non considerantes trabeam in oculis suis, sed exiguas solùm festucas aliorum.

Si autem Religiosus quispiam sæpè repetitas, & præcipuè occultas transgressiones Regulæ aut statutorum bona intentione ac opportunè Superioribus indicet, benè ac laudabiliter agit neque hoc prohibet præsens capitulum, sicut neque fraternam correctionem, dum scilicet unus Religiosus alterum bonô animô, & in occulto verbis charitativis hortatur ac rogat, quatenùs hoc vel illud emendare, vitam magis Religiosam instituere, à jurgiis &c. cessare velit.

Discretionem in castigandis pueris, quam Sanctus Benedictus hôc locô tam tonanter inculcat, quidam magis sibi cordi ducere, ac observare deberent; recogitent tales seriò ac sæpiùs textum illum Sacræ Scripturæ à S. Patre adductum: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

ANI-

ANIMADVERSIO
Super Cput 71.
Vt obedientes sint sibi invicem fratres.

SAnctus Pater Benedictus in hoc capitulo viam nobis rectissimam & infallibilem ad Cælum indigitat, veram scilicèt non fictam, & humilem charitatem ad invicem. Ubi notandum est, obedientiam, quam unus Confrater alteri exhibet, fraternum potiùs obsequium, quàm formalem obedientiam dici debere. Omne illud obsequium, quod sinè detrimento communis distributionis temporis aut statutorum ex vera charitate confratri tuo præstas, Filius DEI tanquàm sibi in propria personâ factum suscipit, inqúe illius vicem æternam tibi mercedem dare constituit. An non hoc potens tibi stimulus sit, quô exciterîs, ad charitativa fratribus tuis servitia cum gaudio exhibenda? si quæ in præstandis hujusmodi actionibûs molestia se tibi ferendam offerat, tale opus coràm oculis Divinis eò majori pretiô æstimabitur: tunc præsertim, cùm animô promptô, vultu hilarî, conatu impigro illorum te obsequiîs impendes, qui id de te non meriti, aut omninò forsan genio tuo contrarii sunt.

Per vocabulum illud; *Prior*, quod sæpiùs reperitur in hoc capitulo, rursùm intelligendû

dus est quilibet præpositus. Prostrationem corporis in terram coràm irato Superiore tantum æstimat Sanctus Pater, ut Religiosum aliquem hoc negligentem, aut omninò forsitan contemnentem verberibûs castigandum, vel etiam de Monasterio ejiciendum esse decernat: quia autem hodie multos è Religiosis reperire est, qui parùm hoc cordi ducant, apparet etiam indè, raros jam esse nostro tempore, in quibus Spiritus S. Benedicti vivat. Videat Dominus, & judicet!

ANIMADVERSIO
Super Caput 72.
De zelo bono, quem debent habere Monachi.

HOc capitulum totius S. Regulæ compendium est, magnumque miraculum gratiæ Spiritûs Sancti, in quo Sanctus Benedictus ad salutem atque solatium tot millium, imò innumerabilium filiorum suorum paterni cordis sui affectum conclusit. Hunc autem thesaurum, hócque solatium non omnes, qui istud capitulum obiter duntaxàt percurrunt, sed qui verè dignos se exhibent, percipere merentur. Quod si Religiosus bonæ cæteroquin voluntatis, statum animi sui cognoscere cupiat, hæc octo puncta à S. Patre hìc recensita, in quibus

bus consistit zelus bonus, sibi ob oculos ponat, uti & octo contraria puncta zeli mali, seu amaritudinis, unde colligere poterit, an gaudere, vel metuere, quidve emendare debeat.

Placet hîc pro simpliciorem bono hæc omnia puncta tam boni, quàm mali zeli nonnihil clarius exponere. In his igitur bonus zelus consistit: 1. Ne Religiosus quemquam, præsertim nullum ex confratribus suis contemnat, sed congruum cuique honorem animô sincerô exhibeat. 2. Ut confratrum suorum fragilitatis, defectus, ac imperfectiones tam corporales & Physicas, quàm morales, ore silentî, & cum Christiana patientia toleret. 3. Aut omnibus se obedientem ac obsequiosum exhibeat. 4. Ut aliis se libenter accomodet & acquiescat, atque ità potiùs omnia agat & ordinet, prout aliis bonum ac utile esse viderit, quàm ut proprium suum in illis commodum quærat. 5. Ut omnes confratres suos castô, purô, fraternô amore prosequatur, omnia ipsis bona ex animo optandô, & quacunque ratione poterit, etiam bona faciendo. 6. Ut omni tempore S. timore DEUM timeat, atque ideò Divinum officium solerter ac ferventer exsolvat, propriæ conscientiæ magnam curam habeat &c. 7. Ut in Superiore potestatem ac Personam Christi considerans, vero illum, & humili, ac reverentiali amore prosequatur. *Octavò* tandem, ne amorem ullius creaturæ amori

mori Christi anteponat. Gradus isti octo admodùm salutares sunt, quorum unus sublimior alterô securam ad DEUM scalam constituunt. Vultque Sanctus Benedictus, ut omnes ipsius filii Sanctum hunc *zelum ferventissimô amore exerceant.*

E diametro zelus amaritudinis pessimus est, suamque à dæmone trahit originem, hominem *separat à DEO, & ducit ad infernum.* Hunc non ità describit Sanctus Pater Benedictus, sicuti alterum, neque id necessum fuit, cùm per se manifestus sit, ut potè directè oppositus zelo bono. Pro majori autem cautela simpliciorum, adduco hìc breviter abominabiles illius gradus, itidem octo. Ille ergo zelum amaritudinis malum habere convincitur. 1. Qui quosdam ex confratribus suis contemnit, eisque debitum honorem exhibere dedignatur. 2. Qui nihil in & ab aliis tolerare vult, sed defectus illorum, ac fragilitates in malam partem interpretatur. 3. Qui nemini cum promptitudine obedire, vel quidquam obsequi bonô animô præstare potest. 4. Qui omnia ad suum judicium ac commodum habere vult, sive dein hoc in bonum, sive in detrimentum aliorum cedat. 5. Qui aliquem è confratribus odio habet, ad damnum ipsius lætatur, eique prosperos successus invidet. 6. Qui temerariam habet conscientiam, sine timore DEI vivens, qui nullô ad laudes Divi-

divinas gustu afficitur, Sacramenta Ecclesiæ irreverenter tractat ac suscipit, & regularem disciplinam aversatur. 7. Qui aut parvipendit, aut omninò contemnit Superiores suos, eisdem neque amorem, neque honorem ac gaudium per promptam obedientiam exhibere paratus. 8. Qui cor suum alicujus creaturæ affigit, adeòque DEUM non amat ex toto corde. Hæc utique sunt amarissima zeli diabolici germina, æternæque damationis prodromi; avertat DEUS benignissimus, ne aliquandò in ullo Religioso pullulare incipiant.

Concludit hîc Sanctus Benedictus Regulam suam per finale vocabulum: *Amen*: sequens autem capitulum Epilogi locò se habet. Ubi notatu dignum est, quòd quemadmodùm Salvator Noster Amantissimus septuaginta duos Discipulos antè se præmisit *in omnem locum, quò erat ipse venturus*, ut hominum corda ad exoptatissimum adventum suum præparent, ità & Sanctus Benedictus imprimis septuaginta duo instrumenta honorum operum (ut habent nonnullæ editiones) capite 4. collocaverit, tum etiam septuaginta duobûs capitibûs Regulam suam absolverit, per quæ certò dispositi ac digni efficeremur visitationis Divinæ hîc per gratiam, ac tandem post ultimam vitæ periodum per lumen gloriæ in beata æternitate. Amen.

ANIMADVERSIO Super Caput 73.

De eo, quòd non omnis observatio justitiæ in hac sit Regula constituta.

NOn aliter Sanctus Benedictus Regulam suam â Spiritu Sancto dictatam terminat, nisi magna cum humilitate: & primò quidem fatetur, non omnem perfectionem in illa comprehensam esse, cùm tamen universo Orbi satis constet, quòt millia perfectorum, imò ab Ecclesia Canonizatorum hæc Regula genuerit. Tantæ autem fertilitatis & incrementi radix & causa est profunda Sancti Patris humilitas, quâ illam conscripsit. 2. Ait, *ut eam observantes* non aliud se assecuturos existiment, quàm *honestatem morum*, *aut initium* veræ *conversationis* Religiosæ. 3. Seipsum Divus Pater inter desidiosos, & malè viventes, atque negligentes connumerat. 4. Vocat Regulam suam minimam inchoationem vitæ melioris. Quanta humilitas viri tanti, tot gratiis à Deo dotati, & in universa Ecclesia celeberrimi; verè itaque parvum illud & benedictum *granum sinapis* suas in corde Sanctissimi Patris hujus radices egit, unde & in tam magnam atque frugiferam arborem excrevit. Si in nostris hisce malefaustis temporibus (utpotè, in quibus charitas multorum jamjam refriguit) arbor

arbor hæc Regulæ Benedictinæ tot, támque eximios fructus non ampliùs, ut olim, proferat, alia vix causa mihi assignari posse videtur, quàm, quòd priscæ illius simplicitatis atque humilitatis Benedictinæ nullum ultra appareat vestigium: & quia hodie in tot punctis ab hujus Regulæ observantia recessimus; quô pensatô fateamur necessum est, *nobis desidiosis, & malè viventibus, atque negligentibus* nil præter *ruborem confusionis* relictum esse. Quodsi ut par est, ex intimo corde agnoscimus, jam unum gradum vitæ melioris assecuti sumus.

Demùm Sanctus Pater hîs suam Regulam verbis concludit: *facientibus hæc, Regna patebunt æterna*: ergò illis Religiosis occlusa manent, quibus Regulæ observantia cordi non est.



APPENDIX.

§. 1.

Qua ratione Religiosus omne periculum antevertere debeat, ne in tremendo Christi tribunali quoad observantiam S. Regulæ causâ cadat?

AD hanc quæstionem respondeo primô: si Religiosus in tali Monasterio degat, in quo vota solemnia, Regula, statuta, ac disciplina

Regularis Sanctè & accuratè servantur, ipseque pariter pro viribꝰ ad id collaboret, semper in melius proficere desiderans, talis, etiamsi aliquibus adhuc imperfectionibus foret obnoxius, mortem tamen bono in statu constitutus exciperet, utpotè in vera tendentia ad perfectionem: non enim Religiosus perfectus jam esse tenetur, (cùm veræ perfectionis culmen adeò facilè non sit assequibile) sed ad eam continuò tendere; quod sufficienter præstat ille, qui pacem conscientiæ suæ servare studet; qui in vera concordia ac patientia cum aliis conversatur; qui præscriptam temporis distributionem pro posse suo conatur observare; quòd si aliquandò labi contingat, firmum de novo propositum concipit; nulli unquàm creaturæ cor affigit; &c. talis multùm progreditur in via perfectionis, quin ipsemet advertat, neque quoad observantiam Regulæ suæ periculosum timebit judicium, sed coronam decoris de manu Domini cum gaudio exspectare poterit.

2. Quòd si contingat, Religiosum in tali degere Monasterio, ubi Regula cum statutis, imò ipsamet fortasse vota ac Regularis disciplina exiguo in pretio sunt, ipse autem pro sua parte hæc omnia, quantùm scit, ac potest, observet, talis hôc modô satìs benè consulet saluti suæ; ipsius enim non interest, quòd Regula in Monasterio tanto neglectui ducatur.

3. Si

3. Si Religiosus hujusmodi ita animô comparatus sit, ut lubens ac promptus acceptare vellet, si suo tempore reformatio aliqua fieret, aut exactior Regulæ observantia introduceretur, talis adhuc securiori in statu degit.

Tandem, si præter hæc omnia Religiosus ex animo desideret, & ferventibus etiam apud DEUM precibûs instet, ut perfectam in omnibus Regulæ observantiam, etiam quantùm fieri potest, quoad litteram, in congregatione sua, vel Monasterio denuò restituere dignetur, talem post obitum suum benignô prorsùs oculô DEUS respiciet, hancque ipsius bonam voluntatem ità gratanter acceptabit, quasi ipsemet Regulam in omnibus quoad litteram perfectissimè observasset. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Psal. 9.

§. 2.

INDULGENTIÆ,

A Paulo V. omnibus & singulis cujuscunq; ordinis ex utroque sexu Religosis An: 1606. 23. Maji in perpetuũ concessæ: Revocatîs tamen, & abrogatîs quibûsvis aliîs cuicunque Ordini ante hac concessis.

ITaquè Plenariam indulgentiam quivis Religiosus consequitur, imprimîs illo die, quô Novitiatum exorditur, si præmisso peccato-

rum dolore ac Exomologesi Sacram Euchari-stiam su ceperit.

2. In die Professionis, post suscepta, quæ diximus, SS. Sacramenta.

3. In principali festo Ordinis, si facta confessione ac Communione, preces suas ad DEUM pro concordia Christianorum Principum, extirpatione hæresum, salute & incolumitate Summi Pontificis, & pro Exaltatione S. Matris Ecclesiæ effuderint.

4. In extremo agone, si confessi fuerint, sacrámque Eucharistiam susceperint, vel si hoc non potuerint, saltem contritô corde Sanctissimum Nomen JESU devotè invocaverint.

5. Quandò Religiosus Sacerdotiô initiatus confessione factâ primùm DEO sacrificium offert. Similiter & omnes alii Religiosi, qui factâ confessione & communione eidem præsentes assistunt.

6. Quoties Religiosus Spiritualibus exercitiis (ut vocant) per decem dies vacat, & sub eorundem decursu vel fine sæpe dicta SS. Sacramenta suscipit.

7. Quoties Religiosus Ecclesiã Monasterii sui, vel chorum invisit, ibidemque DEUM precatus eô modô, quô suprà punctô 3. insinuatum est, talis cõsequitur ingulgentias omnium stationum (omninò præstantissimas) haud aliter, quàm si ipsemet Romæ Ecclesias stationales actu & personaliter inviseret.

Quan-

Quandò Religiosus coram altari, quod est in Ecclesia Monasterii, (vel si ex obedientia extrà Monasterium constitutus est, coràm quocunque altari) quinquies *Pater noster*, & *Ave MARIA* recitaverit, omni die, quô hoc præstiterit, quinque annorum indulgentias, & quinque quadragenas consequetur.

9. Quivis Religiosus, si per mensem integrum quotidie ad dimidium horæ meditetur, atque ultimâ Dominicâ mensis præmissa confessione S. Eucharistiam suscipiat, 60. annorum indulgentias cum totidem quadragenis consequitur.

10. Quicunque Religiosi in capitulo de suis defectibus ac imperfectionibus cum pænitudine cordis se publice accusant, (quod vocamus, culpam dicere) & posteà spiritualiter communicant bonumque opus aliquod perficiunt, v. g. injunctam pœnitentiam exsolvendo, trium annorum indulgentias, totidemque quadragenas lucrantur.

11. Ille Religiosus, qui ad convertendos infideles aut hæreticos, vel ad catholicos concionibûs erudiendos mittitur, si ad hoc opus per Confessionem & Communionem, vel per celebrationem Sacrificii Missæ se prævië disposuerit, plenarias consequitur indulgentias, primò, dum ingreditur, & rursùs, quandò in locum illum pertingit, ubi concionari, aut docere debet.

12. Si Visitator Religiosus in Monasterio aliquo preces quadraginta horarum instituat, ad consequendum à DEO felicem exitum visitationis, tunc omnes illi Religiosi plenarias lucrantur indulgentias, qui ad minus duabûs horis (distinctis vicibûs) huic devotioni intersunt, suasque ad DEUM preces pro confirmanda Regulari disciplina, & ut supra punctô 3. dictum, effuderint.

§. 3.

SPeciales indulgentias plenarias annô 1671. 19. Decembris omnibus & singulis Christi fidelibus Clemens X. concessit, qui in festis mox recensendis cum vera pœnitudine confessi, ac Sacrâ Eucharistiâ refecti Ecclesiam alicujus Monasterii Monachorum vel monialium sub Regula Sancti Patris Benedicti militantium inviserint, ibidemque, ut suprâ punctô 3. dictum, oraverint.

Festa autem sunt sequentia.

15. Januarii in Festo S. Mauri.
21. Martii. in Festo S. Patris Benedicti,
10. Februarii. in Festo Sanctæ Scholasticæ ejus Sororis.
5. Octobris. in Festo SS. Placidi & Sociorum Martyrum.
13. Novembris. Omnium Sanctorum Monachorum Ordinis Sancti Benedicti.

§. 4.

§. 4.

Quinque insignes Promissiones Sancto Benedicto à DEO factæ.

MUlti eruditissimi Scriptores, & inter hos Prudentius Sandoval, Arnoldus, Wion, Stengelius, Cornelius à Lapide in c. 35. Jeremiæ, Benedictus Hæfftenns in c. 36. vitæ S. Benedicti, aliique memorant, quòd, cùm S. Benedictus, quodam tempore in aliquo Monasterio degens fervidæ orationi insisteret, apparuisse illi Angelum, lætô nuntiô, præces ipsius à DEO exauditas esse. Peteret itaque gratiam, aut beneficium qualecunque, omnia sibi præstitum iri. Ad quæ Sanctus Benedictus profundè se humilians respondit, se quamquam indignum nihilominùs tot jam favoribûs ac gratiis à DEO cumulatum, de cætero adeò ignorantem, & ad res DEO gratas postulandas adeò ineptum esse, ut eò minùs forsitan exaudiri meretur; totum se proindè Divino beneplacito ac misericordiæ relinguere; faceret secum DEUS, aut daret sibi, quidquid bonum fuerit in oculis suis, quodque magis sibi expedire cognoverit. Subdidit dein Angelus: Noveris, Divinam pietatem (quæ *respexit* semper *in orationem humilium & non sprevit precem eorum*, & exaltat illos, qui minimi sunt in oculis suis) quinque singulares gratias tibi præstare: *Primò*: quòd Ordo tuus ad finem mun-

 di

di usque duraturus sit. 2. Quòd ultimis mundi temporibûs Romanam Ecclesiam fidelissimè tuebitur, multosque in fide corroborabit. 3. Quòd nullus in illo extra statum gratiæ moriturus sit: & si quidem male vivere inceperit, nec destiterit, aut confundetur, aut ex Ordine projicietur, aut ipsemet ultrò egredietur. 4. Quòd omnibus, qui Ordinem tuum persequentur, nisi resipiscant, vita ipsis abbreviabitur, vel etiam mala morte morientur. 5. Quòd omnes Ordini tuo addicti felicem vitæ finem habituri sint.

§. 5.

Sanctus Benedictus auxilium suum agonizantibus promittit.

CUm S. Gertrudis Festô die S. Patris Benedicti sub matutino fervidis precibus plus solitô attentiùs instaret, vidit in spiritu, quam sublimem gloriæ gradum hic S. Pater possideret, ità, ut in conspectu Sanctissimæ TRINITATIS gloriâ & honore coronatus adinstar suaveolentis ac florentissimæ Rosæ cum exultatione totius cœlestis curiæ appareret. Baculi locô manu tenebat Sceptrum gemmis distinctum, in cujus unâ parte, quæ versùs S. Patrem respiciebat, refulgere vidit omnium illorum felicitatem, qui per Regularem Ordinis sui discretionem vitam suam emendaverant;

ex qua ipse ineffabili gaudiô perfruebatur ex altera parte Sceptri, quæ DEUM versùs respiciebat, Divina justitia resplenduit, quâ illi, qui vocati licèt ad hunc S. Ordinem, malè tamen vivere non destiterunt, justô DEI judiciô, sic exigentibûs ipsorum demeritis, æternùm damnarentur. Cumque S. Gertrudis eidem Divo Patri per modum strenæ ad diem natalem ipsius, nomine totius congregationis Psalterium unum, quòd in honorem ipsius recitaverat, offerret, sereno vultu illud acceptans, atque ad DEUM conversus obtulit illi bonum odorem operum suorum ac mortificationum pro salute illorum, qui intercessionem suam corde devoto flagitarent, itemque illorum omnium, qui per observantiam Regulæ ipsius sequi vestigia desiderarent.

Post hæc eadem Beata Gertrudis S. Patrem Benedictum rogabat per Gloriosam mortem suam (quòd videlicet non sedens, non jacens, neque præ dolore gemens, sed in Ecclesia antè Sacrum altare stans, & orans obierit) ut omnibus de suo conventu in hora mortis suæ paternum præstare auxilium dignaretur: ad quæ Gloriosus Pater in hæc verba solatii plena respondit: *Quicunque me admonere studuerit illius dignitatis, quòd stans & orans obierim, huic ego in hora mortis suæ tali fidelitate volo adesse, quòd opponam me illi ex omni parte, quâ videbo insidias inimicorum nociviùs contrà ipsum sævire:* Ita, ut ex præ-

præsentia mea confortatus laqueos inimicorum suorum securè sit evasurus, & ad æterna cœli gaudia feliciter transiturus. L. 4. in fin. Div. piet. Cap. 21.

Consolatoria planè promissio Sancti Patris. Diversas in hunc finem aptas reperies oraciunculas. Elige tibi, si volueris, istam: Recordare, Sanctissime Pater mi, gloriosæ mortis tuæ, mihique in extremo agone meo Paternè succurre, beatumque de hac vita transitum impetra.

§. 6.

Conclusio opusculi.

Lector Religiose, ac Devote:

NOn modò per decursum totius libelli hujus S. Benedictum Patrem nostrum compellavimus, sed & alias, tam intrà quàm extrà Divinum Officium eôdem verbô constanter utimur, Eundemque modò Sanctissimum, modò amabilem, ac Sanctum Patrem nostrum vocitamus. An autem è converso S. Benedictus nos omnes pro filiis suis habeat, id mihi non constat: DEUM habeo testem, quòd, quantùm me concernit, S. Benedictum cum vero timore Patrem meum compellem, cùm non sine causa metuam, ne pro suo filio me non agnoscat, siquidem spiritum suum, verumque erga se filialem affectum in me forsitan non invenit: præterquam, quòd tam exiguum

guum fervorem habeam in observantia S. Regulæ ipsius. Quomodò tibi, mi lector, cordi est? verè piissimus atque amantissimus Pater est Sanctus Benedictus, sed ergà illos duntaxat, qui sunt bonæ voluntatis, & verè filii ipsius esse desiderant.

Cùm quodam die Religiosi cujusdam ordinis mihi cogniti Bononiæ sub Divino officio unanimi voce cantarent, aut orarent: *Ora pro nobis Sancte Pater N.* Hæc inexspectata Responsio audita est: *Vos non mei, & ego non vester.* Quod forsitan stimuli locò fuit Religiosis istis, quô admonerentur quarundam imperfectionum, quæ fortè subrepserant, ut illas emendarent. Non sine fundamento timeo, multos profectus sui incurios Religiosos eodem aliquandò fulmine à Sancto Benedicto percellendos esse. Erubesceret utique gloriosus Pater, Monachos desidiosos, malè viventes, atque hyppocritas filios suos compellare.


Omnes, quotquot Christiano nomine censemur, filii adoptivi DEI sumus, unde & tot mille vicibûs oramus: *Pater noster qui es in Cœlis:* sed non omnes dulcisonam hanc vocem audire meremur: *tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui.* Sed plures nostrum fulmen illud tangit: *vos non populus meus, & ego non ero vester.* Oseæ 1. ô repulsam amarissimam!

Quin & ipsa aliàs amabilissima cœlorum Regina, & MATER Misericordiæ MARIA, quam

quamquàm toties invocetur illis verbis *Monstra te esse Matrem*; non omnibus tamen pari affectu materno respondet: *Ecce Mater tua*, quia non omnes illi cum veritate dicere possunt: *Ecce Filium tuum.*

Plura de his non ampliùs dico, quàm hæc: si Sanctus Benedictus post obitum nostrum pro filiis suis non vellet nos agnoscere, haud facilè Patrem nostrum haberemus DEUM, sed terribilis sententia nos maneret. Omni igitur studiô cũ DEI gratia in id nobis incumbendum est, ut Reglæ nostæ lectionem ac observantiam magis cordi ducamus (sinè tamen anxia quadam violentia, sed cum discreto fervore, animôque liberô, quô modô meliori possumus) ut etiam amabilis Pater Benedictus nos filios suos dilectos dignetur agnoscere, nobisq; gratiosas illas promissiones, ac gratias, quas suprà memoravimus, elargiri.

I. M. I. B.



CYM:

CYMBALUM SPIRITUALE BENE SONANS:

Id est:

NOTABILIA DOCUMENTA,

Quomodò ſeptem horæ Canonicæ poſsint ac debeant cum devotione recitari?

AUTHORE

Reverendiſsimô Dominô

P. IOACHIMO

Monaſterio Fiſchingenſis

Ordinis Sancti Benedicti

ABBATE.

E Germanico in Latinum idioma tranſlata.

CRACOVIÆ
Typis JACOBI MATIASZKIEWICZ S. R. M. Celſiſſimi & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ Ordinarij Typhograp:
Annô Dominî MDCCXXXI.



PRÆFATIO AUTHOGRAPHI.

CUm Clementissimus DEUS nos etsi indignos ad talem statum vocaverit, in quo ipsum omni die per devotam recitationem septem horarum canonicarum laudare & glorificare possimus ac debeamus, necessum omninò est, ut quandoque per congrua media spiritualia ad fervorem nos exitemus, quatenùs felicissimæ servitutis nostræ pensum eò perfectiùs Domino DEO reddere valeamus. Hunc in finē nonnulla motiva hîc adferam, meô judiciô valdè utilia ad devotionem, animique attentionem aut conservandam, aut excitandam, cùmque confidam, illa etiam tibi, lector Religiose, grata fore, atque proficua, hinc eadem per Typum tibi communicare volui. Dominus DEUS exercituum Paternam suam benedictionem adjiciat, quatenùs preces nostras ex obligatione debitas ita persolvamus, ut comparari queant *cymbalo benè sonanti*, de quo S. David Psalmo 150. *Laudate Dominum in cymbalis benè sonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis.*

Inspice, si placet, sequentes §§. non pœnitebit, ut spero, exiguæ hujus operæ. Interim vale in Domino, meique memor esto in precibus tuis, quod idem & ego pro te, præcipuè apud Sacrum altare, fideliter præstabo.

§. 1.

§. I.

Quem ob finem septem horæ canonicæ institutæ sint?

SAncta Mater, Ecclesia Catholica, tamquàm fidelis ac sollicita sponsa, id ardentibûs votis desiderat, ut sponsus suus cælestis à fidelibus suis cum omni possibili devotione, ac constanti jubilo in terris laudetur, quemadmodùm in cœlo à beatis tam Angelis, quàm hominibûs incessabiliter laudatur. Cùm autem possibile non sit, ut omnes Christi fideles Divinæ laudi atque servitio per præces, cantum, &c. sinè cessatione incũbant, ob necessitates ac miserias vitæ hujus, ideò Ecclesia in hunc finem certas personas elegit ac determinavit, quibus hoc Sanctum munus principaliter incumberet, ut in nomine & persona omnium fidelium diu noctuque DEO serviant, eique pro viribus, cantandô, psallendô, meditandô, &c. laudes dicant. Et tales personæ sunt Clerici ac Religiosi diversorum statuum ac Ordinum, sicut & Sancti Angeli in cœlo in diversos choros ac ordines dispertiti sunt.

Quemadmodùm verò Alaudæ non possunt continuò altum volantes cantare, sed vel ex lassitudine, vel alia ex necessitate coguntur iteratis vicibûs se in terram demittere; sic neque Clerici aut Religiosi incessanter medita-

ri,

ri, cantare, aut psallere possunt, sed vel ob corporalem refectionem, vel necessariam quietem nonnunquàm ab hisce remittere coguntur: unde et Sancta Ecclesia certas ipsis horas constituit, in quibus Domino DEO Exercituum consuetum Sacrificium laudis offerre debeant.

Et hæ sunt septem illæ horæ canonicæ, de quibus Sanctus Benedictus antè mille ducentos circiter annos, ita scripsit cap. 16. Regulæ: *Vt ait Propheta: septies in die laudem dixi tibi. Qui Septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus. &c.*

Sunt ergo septem horæ canonicæ oratio ab Ecclesia ordinata, quotidie à certis personis ad id constitutis corde & ore persolvenda.

§. 2.

Magna dignitas est, officio canonico vacare.

HOræ canonicæ mirabilis adinventio sunt Spiritûs Sancti: ad illas recitandas obligatum esse, magnus honor, magna gratia, ac dignitas est, non verò contemptibilis quædam servitus, aut onus. Non infelices, sed beati; imò milles *beati, qui habitant in Domo Domini; in sæcula sæculorum laudabunt* illum Psalmo. 83.

Ipse-

Ipſemet æterni Patris Unigenitus cum dilecta ſibi ſponſa Catharina Senenſi horas canonicas recitare dignatus eſt. Sanctam ſuam Lutgardem ipſemet ad matutinum excitavit. Cùm enim tenerioris complexionis eſſet, contigit aliquandò, ut noctu vechementi quodam ſudore perplùra cœptam ſomni quietem continuare vellet, ne fortè ad laudes nocturnas ſi ſurgeret, detrimenti quidpiam in ſanitate pateretur, ſed deinceps ad Divinum ſervitium eò aptior evaderet. Verùm dum his cogitationibus immoratur, vocem audit: ſurge! quid hîc jaces? jam amodò pœnitentiam agere te oportet pro peccatoribus in cœno ſuo jacentibus. Percelluit vox hæc Lutgardem, unde mox ſurgens ad Eccleſiam feſtinavit, Matutinô jam inceptô & Ecce! dum ad januam chori appropinguat, JESUM Crucifixum pe-nes ſe videt, totum ſanguine perfuſum, qui brachio uno de Cruce ſoluto eam complexus os ejus apertò lateri ſuo admovit; unde ipſa cæleſti dulcedine recreata, per totum, quod reliquum erat, vitæ ſuæ tempus longè majus robur ac gaudium in Divina laude ac ſervitio perſenſit.

Refert Cardinalis Bona, Beatum Chriſtianum ex Ordine Ciſtercienſi à Beatiſſima Virgine Deipara ad preces nocturnas excitatum fuiſſe; cùmque ob debilitatem corporis Abbas à choro nocturno ipſum exemiſſet, noluit ipſe

hac facultate uti, ne admirabilî illo ac cælestî solatiô privaretur, quô animam suam durante sacrâ Psalmodiâ inebriari sentiebat. Testabatur insuper, sæpenumerò vidisse se non modò S. Angelos sub matutino chorum circumivisse, sed & ipsum Angelorum Regem Christum JESUM (cujus *deliciæ* sunt *esse cum filiis hominum*) præsentiâ suâ visibilî chorum nocturnum condecorâsse. De Divina Psalmodia cap: 20.

Vidit quoque beatus Abundus Monachus Sanctissimam cæli Reginam Virginem MARIAM elegatî ac splendidô habitu chorali indutam, & candidissimô velô caput tectam Religiosis Monasterii sui Villariensis in choro se associantem, & cum iisdem horas canentem, adeò benignô ac serenô vultu, ut virginalî suâ præsentiâ omnes ad laudandum DEUM excitaret. Videbatur in omnibus cæremoniis se conformare Religiosis: ad versiculum: *Gloria tibi Domine*, &c. magna cum reverentia se inclinabat, finitoque tandem officiô disparuit. Ex chronico Villariensi.

Sanctos Angelos cum summo jubilo Psallentium choris interesse, longè magìs constat, quàm ut historiîs probari debeat. *Ita* enim S. David Psal. 67. pronunciat: prævenerunt Principes (cælestes spiritus) *conjuncti psallentibus, in medio juventularū tympanistriarū*. Quæ ultima verba R. S. Georgi⁹ Wittwiler pereleganter ac-

com-

commodat Sanctimonialibus, quæ DEUM puro corde laudantes, ſua etiam corpora juxtà exigentiam vocationis ſuæ mortificant. Ait prætereà Regius citharædus: *in conſpectu Angelorum pſallam tibi*. Pſal. 37.

Si igitur JESUS ipſe, ſi ſacratiſſima Ejus Mater, ſi cæleſtes ſpiritus horis Canonicis quandoque viſibiliter, ſemper autem inviſibiliter adeſſe dignantur, eiſdemque lætas aures præbent, imò etiam pro decenti illarum perſolutione voces ſuas pſallentium vocibus adjungunt, concluſum manet, quòd obligatio ad horas canonicas earumque perſolutio nō ſit ſervile quoddam opus multò minùs moleſtum onus, ſed verè Angelica occupatio, & magna coram DEO dignitas. Pulchrè S. Benedictus: nihil ait in mundo eſt, quod ſtatum cæleſtis habitationis adeò propriè nobis repræſentet, ut ſi cum Sancto jubilo DEUS laudatur. Serm. 9. in cantica. Hinc fervidi Religioſi ac Clerici meritô terreſtres ſeraphini compellantur, qui glorioſum illud triſagion: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ardentibûs animis ac lætis cantibûs pſalmorum Davidicorum, *alter ad alterum* in choris ſuis devotè reciprocant. Audi etiam Doctorem Seraphicum S. Bonaventuram: laudes inquit & Pſalmos cōcinere viris ſpiritualibus propriè convenit, quibus congaudent Angeli, qui DEUM in cœlis laudant ſinè fine ac requie.

Quoſdam tamen reperiri, quibus oratio canonica non ſolatium ac gaudium, ſed diſguſtum, gravamen, ac faſtidium parit, & modica quam illis impendunt, hora nimiùm moroſa videtur, id meritò quidem dolendum, non adeò tamen mirandum eſt; cùm etiam Iſràëlitis Manna illud Angelicum ob quotidianum ſui eſum nauſeam attulerit. Sed beatus profectò Religioſus ille, qui palatum animæ ſuæ ab omni terrenarum deliciarum infectione ità ſervavit immune, ut ſanctum ſaporem, guſtumque cæleſtem officii canonici ſentire mereatur, illudque non cum tædio, ſed cum ſolatio ac Sancto jubilo quotidiè exſolvat, ut hac ratione aliquando dignus ſit, DEUM in æternum laudare.

§. 3.

Quibûs temporibûs Diei horæ canonicæ ſint perſolvendæ?

OLim Matutinum media nocte, vel paulò poſt cantabant, aut pſallebant; laudes autem ingruente die. Primam deinde horâ ſextâ, vel ſeptimâ; Tertiam horâ nonâ; Sextam horâ 12. Nonam horâ 3. pomeridianâ; Veſperas poſt horam 4. ac demùm Completorium antè ſomnum. Hodiè ſtatutis ac conſuetudinibus uniuſcujusque loci aut Ordinis acquieſcendum eſt.

Scien-

Sciendum præterea, magnoperè DEO displicere, si chorus nocturnus, sivè Matutinum debito tempore non celebretur. Ad quod demonstrandum sequentem adduco terribilem historiam, quam legere est in *Vinea Carmeli*, cap. 36. n. 576. sic autem contigit: Cùm circà annum Christi 1587. in quodam Monasterio Ordinis Carmelitani Regularis disciplina ac mortificatio sensim defecisset, Religiosi illi Matutinum non jam ampliùs media nocte, sed vespere præcedenti persolverunt: noctu tamen secundum antiquam consuetudinem ære campano pulsârunt. Cùm ergo sacristanus loci illius nocte quadam surgens, campanâ insonuisset, audiit in choro cantari invitatorium. Ingreditur chorum attonitus, videtque ibi multitudinem Religiosorum psallentium. Erant hi omnes albis vestiti, sed facies, manusque non nisi ex ossibus mortuorum constabant: quod magnam ipsi pavorem incussit. Tum is, qui videbatur illorum præcipuus, sacristanum verbis acerrimîs sic allocutus est: nos olim Religiosi hujus Conventûs haudquaquàm tale vobis exemplum reliquimus; jucundum nobis accidit, nocturnis horîs psallere, Deumque precari, & si vires nostræ id permisissent, gaudium magnum nobis fuisset, tota nocte huic sancto muneri vacare. His dictis sacristanus virgîs ferreis tam atrociter vapulavit, ut sequentî mane tamquàm

 mor-

mortuus fuerit repertus. At ubi in valetudinarium deportatus, ibique recreatus fuit, denuó sibi restitutus, totũ, quod contigisset, narravit, ac triduô post vitam finiît. Non omnes negligentes Religiosos DEUS hîc in terris plectit, ut huic factum est: sed plerumque tremendam suam sententiam ad decretorium illum diem extremi judicii differt; tunc ingeminabit: *hæc fecisti, & tacui.* Sic Sanctus Benedictus in primo gradu humilitatis ex 49. Psalmo nos præmonet.

Dicere solebat Saancta & admirabilis Virgo Catharina Bononiensis, Religiosos sinè omni exceptione constanter ad matutinas laudes surgentes, olim cũ MM.cõnumerandos esse. Card. Bona in Psalmodia Divina cap. 20. n. 23. Si Religiosus à choro exemptus horas suas nonnihil antè tempus recitet, providus habetur; si statuto tempore illas persolvat, obediens est; si verò citrà urgentem causam longè ultrà præscriptum tempus illas differat, ità ut fortè ad seram vesperam, ubi dicere deberet: *Noctem quietam*, &c. primùm incipiat: *Iam lucis orto sydere*, &c. servus piger ac negligens est, exiguumque Divinæ Majestati obsequium præstat, quin potiùs habet, quòd timeat, ne Divinam ultionem experiatur. Serò nimis, aut maturè nimis recitare horas, bonum non est. Refero notam historiam, quam scribit Sanctus Petrus Damiani, L. 2. Epist. 15. ad Desideri-

um:

um: quòd cùm aliquando Canonicus quidam Coloniensis iter agens per flumen aliquod transiret, apparuerit illi in flumine Beatus Severinus, (Baronins Peregrinum dici debere, existimat) Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, non ità pridem mortuus. Hic equum canonici frænô apprehensum in vado fluminis stitit. Ille hôc factô attonitus sciscitatur, quidnam eò loci agetur, tanti Nominis Episcopus, & vir integerrimæ vitæ? ad hæc Severinus (sive Peregrinus) expetiit suam ut sibi manuum porrigeret, experturus, quid illo in alveo pateretur. Extendit manum Canonicus, quam ut Episcopus in aquam intinxit, mox tanta vis ardoris corripuit, ut caro cum cute difflueret, ærgè remanentibûs ossibûs. Tunc Canonicus institit, qui fieri posset, virum adeò sanctum, totaque in Ecclesia celeberrimum in abysso tam horribilis incendii detineri? reposuit Episcopus: post obitum meum nil aliud reprehensione ac pœnâ dignum in me repertum est, quàm istud, cùm in Aula Cæsarea comitiis imperii interesse debuerim, nō singulas horas canonicas præfinito tēpore, sed manè omnes simul persolvi, quò sic per reliquum diem liberior ac expeditior essem ad vacandum negotiis imperialibus: & hanc ob negligentiam terribiles has pœnas luo. Dein hortatus est canonicum, ut DEUM pro convalescentia manûs suæ precaretur: quod ubi

 factum,

factum, & manus pristino vigori restituta est, ait ampliùs ad illum Archiepiscopus: vade fili, & meo nomine precare fratres meos, Clerum Coloniensem, aliosque viros Religiosos; ut pro me ad DEUM intercedant, eumque mihi per eleëmosynas ac Sacrificia propitium reddant, quibûs præstitis á vinculo pœnæ hujus infallibiliter liberabor, chorisque Sanctorũ me exspectantium associabor. Hucusque S. Petrus Damiani, exclamans demùm: quò si vir tam Sanctus ob unicam labem tam horribile sustinuit purgatorium, profectò væ! & iterùm væ! mihi, meique similibus, qui tot ac tantis culparum sarcinis onusti sumus.

Si quis ad horas Canonicas obstrictus, ob inevitabilia negotia, aliásve rationabiles causas tota die impeditus, easdem primùm ad seram vesperam cum omni possibili reverentia ac devotione persolvat, is servum se fidelem atque sollicitum supremo Domino suo exhibet, gratiamque Divinam meretur. Si ob præsentiam boni alicujus amici â recitatione horarum te impediri credas, cogita, DEUM longè majorem tuique amantiorem amicum esse. Nemo prudentiûm tibi vitio dabit, si ab eodem modicam expectationem tibi efflagites, quoad usque hanc vel illam horam dixeris. Ut verbô rem absolvam: illa debiti solutio creditori acceptissima est, quando moneta genuini ponderis atque valoris ad destinatum

tum diem ac horam bonô animô exsolvitur.

§. 4.

Quòd horæ Canonicæ integrè, id est, sinè verborum mutilatione persolvi debeant.

QUi notabilem partem officii canoninici, v. g. integram horam, deliberatè, & sinè urgenti causa omittit, peccat mortaliter, si ad horas recitandas obstrictus sit. Qui autem horas suas imperfectè ac luridè recitat, omittendo, mutilandô, syncopandô, ac intra dentes aut labia coarctandô aliquot verba, sive versiculos, &c. item, qui occupationes non necessarias, vel omninò jocos aut risus immiscet magno se periculo committit, exiguamque orationis suæ mercedem feret. Si verò cum socio horas recites, & solerter attendas, omninò satisfacis, quamvis fortè non omnia ritè percipias, quæ ille nimìs tacitè festinanter; aut aliàs imperfectè pronunciat. Superioribus tamen incumbit, hujusmodi incurios corrigere.

Sanctus Annon Archiepiscopus Coloniensis horas suas cum Diacono quodam recitare solebat. Hic adeò in orando properabat, ut denique turpem consuetudinem contraxerit, mutilandi etiam sacrum illum Versiculum: *Gloria Patri*, ità, ut solùm diceret: *Gloria*

Gloria Patri & Spiritui Sancto. Hanc incuriam sui Diaconi Episcopus nec advertit, nec correxit. Cùm autem vespere quodam ad quietem concessisset, nec plenè adhuc obdormîsset, vocem audit ad lecti cervical, quæ bis cum festinatione verba illa immurmurabat: *Gloria Patri, & Spiritui Sancto*, moxque extasim passus, Filium DEI magna cum Majestate versùs se stantem videt, sibique exprobrantem, quòd Diaconum suum ob hanc Sacrilegam negligentiam, (quâ sibi Filio DEI æqualis cum Patre ac Spiritu Sancto Gloria non exhiberetur) non correxisset. Sequenti dein die docuit Episcopus clericum suum, quomodò majori cum devotione ac integritate Sanctum illum Versiculum pronuntiare deberet, ut fusè refert Surius 4. Decembris, in Vita S. Annonis.

Qui recitat de feria, ubi officium de Sancto recitare debuisset, venialiter peccat; Si autem inconsideratè, ex oblivione, aut ex defectu Breviarii id factum, culpâ caret, neque necessum est, aliud officium recitare. Benè tamen & laudabiliter talis aget, si facta opportunitate suppleat orationem, lectiones, Responsoria, aliasque partes notabiliores. Si verò commodè id fieri nequeat, liberè poterit omittere, ut dictum.

Qui ideò solùm horas suas persolvit, quia timet, ne ob illarum intermissionem damnetur,

tur, frigidum se habere affectum monstrat, versaturque in statu periculoso, cùm sit potiùs servus vî adactus ad præstanda obsequia, quàm filius ex amore Patris, eidemque placendi studiô operans, qui ore medio duntaxat, (ut loqui solemus) horas suas decantat, is medio etiam ore quotidiano pane vesci meretur. *Hilarem datorem diligit DEVS*: hinc si forsan naturali quodam mentis gravamine afflictus es, ne patiaris tristitiam hujusmodi sub Divino officio tibi dominari; utquid enim Dominus DEUS tuus hoc meretur? Sed excita temetipsum, & quantâ potes, mentis ac vocis hilaritate Sacram hymnodiam perfice, & duplicatum inde coronam reportabis. S. Bonaventura inquit: ille dulce canticum DEO modulatur, qui eundem etiam in tribulatione laudat. Pendebat JESUS in cruce sub ineffabilibus tormentis, extremaque derelictione, & nihilominùs Psalmos orabat Davidicos, unicum *DEO Gratias* tempore desolationis pretiosius est coràm DEO, quàm integrum *Te DEUM laudamus* durante consolatione dictum.

§. 5.

Quòd attentè recitari debeant horæ canonicæ.

SI quis horis canonicis adstrictus, easdem sinè omni attentione aut devotione, imò

cum

cum voluntariis distractionibus recitet, talis utique obligationi suæ non satisfacit, sed graviter peccat. Est siquidem officium canonicum, & semper esse debet oratio; jam verò ad omnem orationem essentiale, sive necessarium requisitum est devotio, seu attentio: sequitur ergo, quòd psallere sinè omni attentione non sit oratio, sed inanis garritus, de quo etiam DEUS Isaiæ 29. conquestus est? *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.*

Adverte hîc, triplicē esse attentionem, quæ ad horas canonicas concurrere potest: Primi generis, & optima est, quando orans ad sensum Psalmorum aliarumve precum aut lectionum attendit, suosque affectus eisdem conformat, ità, ut cum Davide DEUM laudante Eundem & ipse laudet, cum orante oret, cum pœnitente pœniteat, &c. idem dicendum etiam de hymnis, orationibus, Antiphonis, &c.

Secundi generis attentio est, quando orans non attendit quidem ad sensum verborum, quæ cantat, aut recitat, sed vel revolvit animô necessitatem illam, pro qua orat, vel quidpiam de DEO, sive ex vita & passione Christi, aut de Beatissima VIRGINE, vel Sanctis, meditatur; idque non merè speculativè, sed cum Sanctis affectibus: simul tamen sollicitè curandô, ut omnia perfectè pronunciet, quæ in breviario præscripta sunt. Hæc atten-

attentio ſatis bona eſt, illis præprimis, qui aut linguam latinam, aut arcanos Pſalmorum ſenſus non intelligunt.

Tertii demùm generis illa eſt, quando quis horas ſuas recitat, præmiſſa antecedenter intentione bonâ ac Sanctâ, DEUM, ſcilicèt per illas laudandi, & non quidem attendit ad ſenſum illorum, quæ pronunciat, neque aliud quid interim meditatur, ſed ſimpliciter conatur, ut illa ſacra verba ad honorem DEI cum reverentia perfectè ac integrè pronunciet, non tamen voluntariè divertendô cogitationes ſuas ad aliquid illicitum, ſive quod ad præſens intentum eſſet impertinens, hæc attentio omnium quidem minima, ſed tamen ſufficiens eſt. Hinc ſi v. g. antè Tertiam cogites, te velle illam cantare aut pſallere ad honorem DEI, illamque dein cum debita reverentia perſolvas, ſatisfeciſti tuo muneri. Quòd ſi inſuper addas, velle te illam orare aut canere in honorem ac memoriam miſſionis Sancti Spiritûs, quæ circà Tertiam contigit: ſimulque petas, ut Spiritus Sanctus in tuum quoque cor venire dignetur, hoc adhuc melius eſt, & tunc Sacer ille hymnus: *nunc Sancte nobis Spiritus*, eò ſapidiorem tibi devotionem ſubminiſtrabit.

Nota hîc etiam, duplicem eſſe attentionem, quarum una eſt *Actualis*, quando quis ſcilicèt deliberatè cum Sancta intentione horam aliquam canonicam recitare incipit: altera

tera est *Virtualis*, quæ oritur ex *Actuali* quando nimirùm ille, qui ità deliberatè, ut dictum, horam aliquam incepit, posteà ex humana infirmitate sui ipsius oblitus, nihilominùs tamen in oratione pergit. Unde bonum quidem foret, & optandum, ut sub horis canonicis perpetuam actualem attentionē continuare possemus; cùm autem in Sanctis quoque viris hæc gratia rara sit, conandum saltem nobis est, & faciendum, quantum possumus. Tu assuesce, ne ullam horam canonicam sinè actuali attentione incipias: quòd si deinde præter voluntatem tuam alias cogitationes tibi displicentes patiaris, exute, illas, nec quidquam repete, sed perge, ità docet Spiritus S. Eccl. 7. v. 15. *non iteres verbum in oratione tua.*

Quando ad chorum vadis, sepone nonnihil, & foris relinque cogitationes tuas de quotidianis negotiis. Refert Cardinalis Bona Locô suprà citatô, quòd cùm aliquandò Prior cujusdam Monasterii immediatè antè januam chori adhuc aliqua negotia tractasset, & hisce cogitationibus inhærens chorum ingrederetur, Beatus Hermannus Ordinis Cisterciensis diabolum viderit, qui Eundem Priorem tanquàm vitæ dux antecesserit. Tantū nocumenti affert, si quis sinè Sanctis cogitationibus ad recitandas horas se conferat.

Innocentius XI. Pontifex maximus 50. dierum indulgentias illis concessit, qui antè

Mis-

Missam vel communionem, item ante horas canonicas, nec non antè cursum Beatæ VIRGINIS MARIÆ per aliquam devotionem se præparaverint.

§. 6.

Quòd ad recitandas horas Canonicas aliqua discretio applicatio virium animi ac corporis requiratur.

QUod fieri debet, fiat benè. Si ad tot preces quotidiè obligatus es, ità illas perfice, ut taliter orasse æternùm te delectet. Sanctus, sed difficilis labor est, benè orare, siquidem præcipuæ hominis vires ac potentiæ ad hoc negotium requiruntur, Qui cum debita sollicitudine ac devotione horas suas exsolvit, is Sanctissimæ TRINITATIS debitū exhibet cultum atque obsequium: is totam cœli curiam glorificat; Sanctam Matrem Ecclesiam suffulcit; defunctorum animas magnô solatiò replet; sibi ipsis suisque magnam gratiam obtinet; in beata æternitate coronam decoris promeretur; antè omnia autem Angelicos Spiritus, qui ad laudes Divinas semper præsentes assistunt, mirè lætificat. Quem in finem hanc visionem solatio plenam in medium adduco:

Cùm Sanctus Pater Bernardus ardenti affectu, animique devotione Choro nocturno ad tempus quoddam valdè prolixo una cùm fra-

fratribus suis interesset, vidit ad latus cujusque Religiosi Angelum stantem, & verba Psallentis accuratissimè in charta consignantem; non omnes tamen eodem modô characteres suos efformabant; illorum siquidem Monachorum preces, qui Sancto zelo, magnaque cordis attentione ad sensum Psalmorum orabant, aureîs scribebant literis; illorum autem verba, qui minori quidem zelô, quàm priores, sed tamen cum pura devotione psallebant litteris argenteis: aliorum verò preces atramentô notabant, quod hi matutinas laudes ex bona psallendi consuetudine cum prompta quidem voluntate, sed cum exigua devotione recitarent, alii characteres ex aqua solùm formabant, quia nonnulli ex Religiosis illis pigri, somnolenti, vel aliis cogitationibûs distenti ibidem assistebant: & quamquàm ore psalmos depromerent, mente tamen nil minùs, quàm laudes Divinas tractabant. Tandem vidit quosdam Angelos melifluus Pater, omninò nihil notantes eò quòd Monachi illi, quibus assistebant, DEI ac sui penitùs oblìti, ac miserandâ cordis duritie laborantes somno profundo indulgerent: vel etsi non dormirent, os tamen ad laudes Divinas aperire nolebant, imò etiam cogitationes nocivas, ac mala desideria &c. animô non dubitabant revolvere. Videns hæc Sanctus Bernardus, uti ex profectu bonorum Discipulo-

rum

rum mirè lætabatur, ità tepiditas ac periculum deficientium magno ipſum dolore affecit. Tu viſionem hanc doctrinalem tibimet applica: ſcio & ego, quid documenti exinde hauriam.

§. 7.

Quòd in recitandis horis Canonicis non oporteat ſcrupuloſum, aut nimìs anxium eſſe.

QUando ob conſcientias aliquorum nimìs laxas ac temerarias majori rigore loquuntur Authores de horis Canonicis perſolvendis, reperire quoſdam eſt, adeò anxios, (non audeo dicere ſcrupuloſos) ut tantùm nō deſperent. homines iſti exotici ſemetipſos quandoque ità torquent in recitando ſuo breviario, ut hæc ipſorum miſeria quemvis ad commiſerationem movere poſſet. Dum enim horam aliquam cum optima intentione, omniqúe poſſibili devotione inchoàrunt, ſed deinde advertunt, ſe in uno alterove verſiculo erraſſe, diſtractos fuiſſe, unum aut duo verba non perfectè pronunciaſſe, vel etiam Verſiculum aliquem omiſiſſe, &c. ut humana fragilitas non rarò ſecumfert, mox totum perditum eſſe exiſtimant, & ſtatim ſe reſolvunt: hæc hora, hic Pſalmus non valeat: recitabo aliter itaque ſecunda vice orant, ſed iterùm hallucinantur. Hoc ipſum diſplicet, & tertiâ quoque vice

repetunt, sed nec obulô melius orant, ac priùs, sicque ad sudorem usque laborant, repetendo ac orando, nec tamen tranquilli fiunt. Hi tales sui ipsorum tortores nisi à viris doctis se maunduci sinant, animi æquè ac corporis damna incurrunt. Siquidem ob pertinaciam sui proprii judicii, ac pusillanimitatem DEUM offendunt, vires nobilissimas animæ suæ debilitant, tempusque inutiliter ac contrà obedientiam consumunt.

Nolim hîc vituperare discretam illam sollicitudinem, qua Religiosi timoratæ conscientiæ accuratè attendunt, ne vel minimum versiculum omittant. Sed illam duntaxat indiscretam anxietatem carpo, quâ nonnulli scrupulosi laborant, dum sibi imaginantur, posse se, ac debere horas suas Canonicas absque omni defectu aut distractione, cum tam constanti attentione, zelo, ac devotione recitare, ut fortè fecerunt Sancti Patres Benedictus, Bernardus, Franciscus, aliique servi DEI magnis privilegiîs insigniti. nequaquàm, mi scrupulose; ne tantam te habere gratiam existimes, sed longè minorem; huic ergo coóperare, & spem tuam Divinæ bonitati committe. Quemadmodùm enim in aliis quibusvis rebus, ita & in orando unus præ altero homine majori gratiâ gaudet.

Nolim tamen etiam hôc locô approbare laxitatem quorundam verè temerariam, qui medi-

medios & integros Psalmos, imò dimidias horas absque omni scrupulo intermittunt, seu, ut ajunt, *Romam mittunt*: hi nimiùm declinant ad alterum extremum. Tu cautus si fueris, mediô tutissimus ibis. quòd si adhuc scrupulorum molestias pateris, indeque liberari cupis, ita rem tuam (meô quidem consiliô) institue: Priusquàm incipias horam aliquam, hanc facito intentionem: volo nunc ad gloriam DEI, & ad satisfaciendum obligationi meæ horam istam recitare, ad impetrandum hoc vel illud à DEO beneficium. Si jam per decursum inciderit mihi quidquam mali; aut quod esset contra scopum, velim id amodo esse irritum. Dein perge reverenter orare, & quamvis postea impertinentissimæ cogitationes tibi inciderint, quamvis etiam erraveris, unum alterumve verbum omiseris; aut ex ruditate, vel defectu linguæ non benè pronuntiaveris &c. caveas tamen omni modô ne cogites intra te, hic Psalmus, hic versiculus &c. non valeat, sed perge, ac si errorem nullum admisisses. Sic certus esto, orationem tuam DEO acceptam fore. Non enim talem à nobis exigit orationem, quæ omni defectu careat; (nostræ siquidem infirmitati talis vix foret possibilis) sed discretam solummodo applicationem industriam, bonamque voluntatam à nobis requirit. Ne repetas quidquam; subnexa enim oratio *Sacrosancta* vim habet abolendi hujusmodi in-

di involuntarias imperfectiones. Quòd si verò ob necessarias occupationes unum vel alterum Psalmum cum reliquis non dixisses, benè facies, si posteà suppleveris. Si hoc tibi consilium meum non arridet, aliter jam te juvare non possum. Vale! si tamen valere potes, & quietus vivere cum hisce inanibus scrupulis, & non necessariis repetitionibus.

§. 8.
Officium Canonicum est efficax & necessaria oratio.

TOtius Sanctæ Matris Ecclesiæ, totius Patriæ & cujusvis Congregationis seu Monasterii permultùm interest, ut horæ Canonicæ à personis ad id Officium obligatis solerter ac devotè persolvantur. Multas enim magnasque pœnas ac mala avertere, & è contrario pacem, fertilitatem, tranquillitatem &c. à DEO impetrare possunt. Quòd si verò in his negligentes sint personæ Religiosæ ac Ecclesiasticæ, sæpenumerò tota Patria aut Monasteriū illorū causâ punitur; talesque frigidi Oratores gravissimè olim ante tribunal Chisti accusabuntur, atque plectentur, utpotè qui redditus ac bona fundationum gratis consumpserint, dum obligationi suæ omnium præcipuæ satisfacere neglexerunt. Quamprimùm pigritia ac negligentia ope diaboli choro invecta

fue-

fuerit, mox agri ac fructus Benedictione Divina carebunt, totaque Eccelsiæ sive Monasterii felicitas paulatim deficiet. Quod exemplis demonstrari posset.

Sedulò conatur dæmonum invidia, fulcrum hoc Sanctæ Ecclesiæ subruere, & fervidam rerum recitationem impedire. Hinc, quamvis Sancti Angeli Divino Officio præsentes assistant, nihilominùs & maligni spiritus horis psallentium se immiscent. Scriptum enim est Job. cap. 1. *quodam autem die, cùm venissent filii DEI, ut assisterent coràm Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* Ad quod ulteriùs confirmandum sequentem fide dignissimam adduco historiam ex Vitis & Doctrinis Patrum, *Lib. Sententiarum & Apophtegmatum PP.* §. 39. Venit nocte quadam Diabolus formam Monachi indutus ad cellam S. Macharii, cujus ostium cum pulsasset, ait: Surge, Abba Machari! eamus ad chorum: jam enim fratres ad laudes nocturnas conveniunt. Cognovit mox Divino lumine collustratus vir Sanctus, fictum hunc Monachum esse cacodæmonem. Eum igitur intuitus, ait: ô mendax & veritatis inimice spiritus! quid tibi cum Oratione? quid ad te Congregatio Sanctorum? respondit Sathanas: an nescis ergo, quòd nunquàm Fratres ad Orationem conveniant, quin & nos quoque illic præsentes simus? veni, & vide, quid ibi habeamus negotii. Cui Beatus Macharius: im-

peret tibi Dominus, immunde Spiritus! simulque DEUM rogavit, ut sibi dignaretur ostendere, si vera essent, quæ dæmon jactaverat. Cumque venisset ad locum, ubi fratres ad Divinum Officium se congregaverant, rursùs DEUM precatus est, sibi ut veritatem revelaret. Et ecce! vidit, pueros quosdam æthiopes per totam Ecclesiam ultrò citroque currentes, & modò ad hunc, modò illum Monachum convolantes. Hi parvuli varia cum Religiosis illis dum psallerent, exercebant ludibria. Quibusdam siquidem duobûs digitîs oculos comprimebant: & isti mox somnô se obrui passi sunt. Aliis verò digitos suos in os immittebant, ità, ut oscitare cogerentur, (in quo casu bonum est, devotè efformare signum Crucis super os) cùm Monachi ad finem unius Psalmi in terram ad orandum procumberent, mox iterùm nequissimi illi pueruli ab uno ad alterum cursitabant. Ante quodam se in mulieres transfigurabant; antè alios ludicra ædificia formabant, & nescio quid in medium comportabant. Denique apud alios alias nugas pertractabant. Et quidquid dæmones exteriùs tractare videbantur, id monachis illis orantibus in mentem ac phantasiam venit. Quidam è Religiosis illis tanto cum fervore animique attentione psallebant, ut parvulos illos vix accedentes ad se, mox fulguris instar dejecerint, atque in fugam egerint, ita, ut non

ut non modò nō ampliùs appropinquare, sed ne quidem transire penès illos præsumerent. Aliorum verò etiam colla insidebant suasque fabulas pertractabant. Videns hæc Sanctus Macharius, ex intimo corde duxit suspiria, multisque lachrymis DEUM precatus est, ut hostes illos malignos à fratribus repelleret. Ad veritatem tamen clariùs indagandam, finitâ psalmodiâ quemlibet è suis Monachis sigillatim interrogavit, quibûsnam cogitationibûs durante chorô occupatus fuerit? & cognovit, unumquemque illas nugas animô revolvisse, quas dæmones exteriùs ipsis obiicere videbantur. Sed quonam in statu nos versamur, amice lector? num & nos fortè sub Psalmodia liberum dæmonibus aditum præbemus?

Unum adhuc juvat adducere. Refert Cardinalis Bona locô cit. Sæpè vidisse Beatum Hermannum dæmones in choro huc illuc didiscurrentes. Cumque aliquando ad Matutinū inhoâssét Monachi Psalm: *Domine quid multiplicati sunt, &c.* tantô numerô multiplicarunt se dæmones, tamque importunè circumvagati sunt, ut Religiosi illi turbati, quid agerent, penitùs nescirent. Postquàm autem psalmum hunc brevem magno cum labore ac difficultate finiêrunt, cessêre tandem immundi spiritus, & Monachi tranquillô animô Matutinas laudes prosecuti sunt. Sic ergo & in Ecclesia

pugnandum nobis est, imò magis, quàm extra illam constitutis: nunquàm enim insolentiùs infestat hominem cacodæmon, quàm dum ex toto corde ad DEUM se vult convertere.

§. 9.

Externa quòque reverentia ad horas Canonicas requiritur.

NOn sola sufficit interna devotio ad decentem horarum persolutionem, (quamquàm necessaria sit) sed opus est insuper externâ reverentiâ ac modesta corporis compositione. Si cum aliis in choro quidem consisteres, ac psalleres, sed interim notabili tempore alteri cuidam amicè colloqui, corridere, aut jocari velles, ex mente Theologorum non satisfecisses obligationi tuæ, sed tenereris, horam illam ita neglectim persolutam repetere. Mirum sanè non esset, si JESUS, nunc quoque, ut olim, flagellum faceret, cum eoque tales indevotos oratores. (veriùs dixissem illusores) ex Ecclesia eiiceret.

An verò probari mereatur, si homo sanus ac robustus horas suas sedendo, vel omninò in lecto jacendo persolvat, te ipsum appello. Ad rem facit, quod narrat Sanctus Petrus Damiani; Monachum quendam Cluniacensem, virum cæteroquin probum, bonæque conversationis, cùm vespere quodam fatigatus ex itinere, in lectulo

ctulo suo membra defessa composuisset, in eoque situ horas suas Canonicas, quæ adhuc sibi restabant, persolvisset, sequenti die obvium sibi habuisse peregrinum aliquem crispatîs cornibûs, palmamque manu tenentem, haud aliter, ac si redux ab Hierosolymis veniret. Cumque unus alterum præteriret, dixisse peregrinum: completorium in lecto, nec salus est, nec profectus. Obstupuit ad hæc verba Monachus: at ubi retrorsùm oculos convertit, peregrinus ille, (veriùs Angelus, ut conjectare licet) jam evanuerat.

Hortantur nos Sancti Patres, & præcipuè Sanctus Benedictus cap. 50. Regulæ, ut cùm horas Canonicas privatim exsolvimus, *cum tremore Divino flectamus genua*, vel etiam cum reverentia *in conspectu Divinitatis stemus*. Cap. 19. illi, qui in stando, genuflectendo, inclinando, &c. cæremoniis Ecclesiæ se conformant, dum privatim orant, admodùm laudabiliter, ac meritoriè operantur.

Refert Sanctus Bonaventura de Sancto Francisco, quòd licèt diversis affectus esset infirmitatibûs, nunqàm tamen in Ecclesia sub horis Canonicis ad sedile aut parietem se acclinaverit, sed cum mira reverentia, Sanctâque lætitiâ erectus steterit. In itinere autem constitutus, cùm tempus adesset, unam alterámve horam dicendi, nec æstu solis,

nec

nec pluviâ aut frigore, nec aliâ tempestate impediri se passus est, quin mox in via sisteret, suasque horas cum devotione persolveret. Dignum notatu est hoc exemplum, illis præsertim delicatulis, qui adeò indecenter adhærent sedilibus Ecclesiæ, quasi non apud Divinum Officium, sed domi in lecto suo versarentur.

Si causam te habere existimas, ut horas tuas ambulando persolvas, (quod nonnunquàm sine irreverentia fieri potest) mentem piis cogitationibus occupatam teneto: & imaginare, DEUM hisce verbis te alloqui; Genesis 17. *Ego DEUS Omnipotens: ambula coràm me, & esto perfectus*, perfectámque mihi oratioem offer, Horas suas ex obligatione debitas recitare, dum quis se induit, exuit, manus faciémque lavat, manducat, aliis sua obsequia præstat, aut labore quopiam occupatur, prorsùs irrationabile est, præterquàm, si necessitas id exigat, aut illud, quod tunc de horis recitas, non sit in notabili quantitate. Aliud est de Orationibus spontaneis ac peculiaribus, quæ in talibus occasionibus optimè ac fructuosè persolvi possunt.

§. 10.

Accuratè servandæ sunt cæremoniæ sub horis Canonicis.

PRæscriptæ inclinationes, genuflexiones, aliæque cæremoniæ sub Sacra Psalmodia, solli-

sollicitè observari debent. Has qui transgrediuntur, aut neglectim tantùm persolvunt, præsentibus ibidem Angelis fastidium creant, Divinum Officium inhonorant, & grave sibimet ipsis purgatorium conquirunt. Quod ultimum ut eò certius fiat, testem adduco suprà dictum Sanctum Cardinalem Petrum Damiani; refert ille de Religioso quodam, qui solitam inclinationem ad *Gloria Patri* communiter intermittere, aut certè non nisi obiter tantùm observare consveverat; quòd propter hanc negligentiam sequenti pœna post obitùm suum mulctatus fuerit: columnæ cuidam altæ, sed exiguæ latitudinis, è mari surgenti insistere coactus fuit, in eaque die ac nocte ducentîs vicibûs profundissimè se inclinare, idque toties ac tamdiu, quoadusque omnes olim neglectas, aut obiter tantùm factas inclinationes supplêsset. Idem personæ cuidam alteri Religiosæ, cui apparuit, testatus est, se in hisce pœnalibus inclinationibus tantum horrorem ac cruciatum pati, ac si toties capite deorsum versô in furentes maris fluctus præceps ageretur. Instantissimis dein precibûs institit, ut sibi per Sanctam Orationem, &c. succurreretur.

Omninò cum profundissima reverentia adoranda est Sanctissima TRINITAS, sed & cum externa demisissima inclinatione à nobis vilissimis terræ vermiculis colenda: siquidem

dem tota cœlestium civium hirarchia idipsum præstat. Hactenùs benevolô animô percepisti, dum ad confirmationem dictorum historias fide dignas adduxi. Unde hôc locô præterire non possum exemplum aliquòd, uti suave, ad ita præsens intentum peraccommodum, referre, quod fusiùs legere est in libro *de Viris illust: Ord: Cisterc.* Ubi illa tantùm excerpsi, quæ ad rem præsentem faciunt: Religiosus quidam prædicti Ordinis longo tempore sub gravi cruce ac persecutione ingemuit. Hic cùm aliquando tempore Matutini cum confratribus suis in choro consisteret, suasque animô revolveret ærumnas, exin tantas cordis angustias persensit, ut neque orare, neque cum aliis in choro perseverare posset. Itaque secedens paulisper, & ante altare quoddam Ecclesiæ genuflexus ibidem coram DEO ac Deiparâ cor suum multis cum lachrymis effudit. Et adeò quidem filialis hæc confidentia MATREM Misericordiæ movit, ut statim videre sibi visus sit Religiosus ille Virginem decoram à latere dextro altaris egredientem, & ad se approximantem. Illam verò sequebatur cælestis aliquis juvenis. Inter hæc psallebant, sive cantabant in choro Versiculum *Gloria Patri*, cum consueta inclinatione: tunc virgo illa fixo gradu constitit, mirâque reverentiâ caput inclinavit, donec chorus versiculum illum absolvit: ubi rursùm se erigens progressa est ad Religiosum

ſum illum afflictum, quem hiſce affata eſt: ceſſent jam lachrymæ tuæ, ô Vir DEI, & abſcedat amaritudo triſtitiæ, quæ adeò hactenùs cor tuum afflixit: reddet quippe DEUS mercedem tibi pro laboribus tuis. ſcias itaque, quòd ego intuitu devotionis tuæ atque fiduciæ, tibi quidem æternam gloriam; perſecutori autem tuo veniam à Domino impetravi. Religioſus ille hâc viſione nil perterritus, cum magna confidentia interrogat: precor te Domina, ediſſere, quod Nomen tibi, quia animam ſervi tui verbis hiſce ſuaviſſimìs alloqui dignaris? & quis iſte, qui ſequitur te, adoleſcens? ad hæc ipſa: Ego ſum MARIA, MATER Filii DEI: iſte autem eſt Joannes Evangeliſta, in cujus me Virgineam curam Filius meus in Cruce commendavit. inſtitit ampliùs Religioſus: Quòd ſi tu illa es: per quam ſalus humano Generi facta eſt quamque creaturæ omnes venerari debent, atque laudare, quæ cauſa, quòd paulò priùs tanta cum reverentia caput tuum inclinaveris, tanquàm ſi unus eſſes Beatorum Spirituum? repoſuit piiſſima VIRGO: noveris, quia quoties mortales in terra cum tremore ac Reverentia honorē Sanctiſſimæ TRINITATI exhibent, toties omnes virtutes cœlorum commoveantur, atque ad laudem Creatoris ſui excitentur. his dictis Regina cæli diſparuit, nec modò ſervum ſuum abundanti perfuſum ſolatiò, ſed
&

& ipſum locum, in quo ſteterat, ſuaviſſimô, ac planè cæleſti odore fragrante reliquit, quem non modò Religioſi tunc in choro præſentes cum ſumma cordium oblectatione hauſerunt, ſed ſequenti adhuc die Prælatus Cœnobii cum aliis de Conventu non ſinè ineffabili ſolatio perſenſerunt.

An non hæc hiſtoria incitamentum tibi præbeat, ut non modò ſolitas ad *Gloria Patri* inclinationes, ſed & alias omnes Divini Officii cæremonias ſolerti induſtriâ verôque internô Spiritu obſervare proponas?

§. II.

Alia neceſſariò requiſita ad hoc, ut horæ Canonicæ cymbalo benè ſonanti comparari queant.

TRia præcipuè ad hoc requiruntur: Primò ut hi, qui pſallunt, cum DEO concordes ſint per bonam conſcientiam, inter ſe autem unanimes per charitatem non fictam; denique cum proximo per Sanctum vitæ perfectioris exemplum. Quippe ſi aut peccatis gravibus infecti eſſent, aut mutuas inter ſeſe æmulationes, odia, ac diſcordias foverent, vel aliô quocunque modô vitâ ducerent ſcandaloſâ, omnis ipſorum cantus, oratio, muſica quamquàm ad omnes artis regulas concinnata, abominatio foret in auribus Divinis.

Re-

Refert Boverius ad annum Christi 1547. Virum quendam Sanctum in Ecclesiam aliquam venisse, sub ipsum initium Divinæ Psalmodiæ. Ibi cantabant, psallebant, atque orabant. Sed ecce tibi! non alium auribus suis sonum hausit, ac si totidem canes ulularent. Attonitus hôc portentô Vir Sanctus, conversus ad DEUM ingemuit: ah! Domine mihi, quis hîc auribus meis sonus illabitur? Respondit DEUS: mirari desine: hi etenim homines verba quidem Sancta pronuntiant, sed quia vitã malam ducunt, & quasi eis hoc nõ sufficeret, insuper alios piè vivere volentes persequuntur, õnis ipsorũ cantus haud aliter in auribus meis sonat, ac ululatus canum, & grunnitus porcorum, omniaque ipsorum verba blasphemiarum locô mihi sunt. Profectò non laudabant hi Dominum in cymbalis benè sonantibus. Avertat à nobis benignissimus DEUS, ne tam discordem symphoniam antè thronum Divinæ Majestatis suæ intonemus.

Secundò oportet, ut voces etiam naturales psallentium ad invicem concordent; v.g. ne unus cantet, vel oret altiùs, alter profundiùs, unus festinè, alter lentè psallat, &c. ubi persæpè magnâ discretione, imò & mortificatione opus est, ut quis cum patientia aliis cedat, seque accommodet. Cæsarius Heisterbacensis Lib. 5. cap. 5. scribit, contigisse aliquando in Monasterio quodam sui Ordinis, quòd

quòd cùm Cantor in Matutino Invitatorium una cum Psalmo: *Venite exultemus* &c. voce nonnihil demissiorî ac mediocri inchoâsset, Seniores ex Religiosis mox eundem æquali voce prosecuti sint. id verò Monachum quendam juniorem adeò ægrè habuisse, ut quinque fermè gradibûs altiùs cecinerit. cùm verò Seniores temeritati ejus obnitentes in cæpto tono pergerent, ille pertinaciter restitit, & in eadem, quâ cæperat, altitudine vocis perduravit, inque suam partem alterum chorum pertraxit. (non erat hoc utique cymbalum benè sonans?) cesserunt denique seniores ob scandalum, ac fædam dissonantiam: Sed vidit mox Beatus Hermannus sub id temporis Prior, diabolum cum gaudio è latebris prosilientem, atque illa chori parte magna gratulatione ac jubilô gestientem, quòd tandem vocibûs suîs alteri choro prævaluerint. Nollem ego gratulationem hujusmodi. melius certè est in tali casu, & suavissima coram DEO musica, si quis cedat, aliosque patienter sufferat.

Tertiò, ut hoc cymbalum honoris ac jubilationis ex omni parte perfectum sit, sollicitus quis debet esse ac providus, ne sub Sacra hymnodia errores aut confusiones contingant, unde oportet, ut juniores Religiosi omnia ad Divinum Officium spectantia solerter addiscant, & antè chorum prævideant ac exquirant. &c. vult Sanctus Benedictus, ad incipientes

entes Religiosos *omninò curiosè intendi, si sollicitì sint ad opus DEI*, seu ad Divinum Officium. Sunt tamen nonnulli Religiosi hac in parte satis incurii, similes denticulo inordinatè dispositio in rota horologii. Hi tales, dum ordo ad ipsos devolvitur, ut aliquid intonent, cãtent, aut psallant, jam sibi præsentes non sunt, ità, ut totus chorus non sinè molestia ipsos exspectare cogatur; quæ certè consuetudo valdè indecens Religioso, & vituperiô pænâque digna est. Quòd si fortè Religiosus ex humana infirmitate errorem publicum in Divino Officio committat, seque propterea de more humiliet, defectus iste non adeò crassus aut culpabilis est. Vidit Beatus Hermannus, quòd cùm Religiosi errore quodam commisso ita se humiliâssent, diabolus quasi turbine actus ab ipsis aufugerit: nequit enim superbissimus Spiritus ejusmodi humiliationes sufferre. Bona Locô cit. quod si observaverimus, magnum inde fructum hauriemus.

§. 12.

Quòd etiam Officium, seu cursus Beatissimæ Virg. aliæque preces Ecclesiasticæ non sint negligendæ.

SUnt ex Religiosis ac Clericis nonnulli, debitam quidem adhibentes sollicitudinem, ut horas suas Canonicas ritè persolvant, mo-

dicùm tamen, aut nihil curant, sinè omni etiam causa intermittere cursum Beatissimæ VIRGINIS, Officium defunctorum, Psalmos Pœnitentiales ac graduales, &c. eò quòd hujusmodi preces non obligent sub mortali. Unde ingratum ipsis est Officium de Feria, & longissima ipsis videtur illa mora temporis, quà una cum aliis in choro has preces recitant: estque ipsis perinde, sive bonas intereà, sive vanas mente cogitationes revolvant. Nolim quidem his obligationem aut periculum majus proponere, ac est in se; dico tamen, & præmoneo, ex hujusmodi crassa negligentia ingens damnum atque periculum oriri posse. Talem si quis interrogaret, quare cursum Marianum cum aliis orare nolit, cùm tamen & tempus & occasio ipsi suppetat? cur neque gustum, neque devotionem sentiat, imò vix non exhorrescat, dum Officium de Feria, aut Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales aut Graduales dicendi sunt? aut quarè cum tam exigua attentione illa persolvat? Respondebit, se non teneri, non esse obligationem sub mortali, quòd si autem talis aliquando in periculum vitæ, magnos dolores, tribulationes, necessitates & angustias, imò in terribilem mortis agonem inciderit, ibique Matrem Misericordiæ, Deiparam in auxilium vocaverit, an non fortassis & ipsa tunc retorquebit, non esse se obligatam ad ferendum ipsi auxilium?

Aver-

Avertat DEUS, ne in extrema necessitate mea tam acerbam à Matre Misericordissima repulsam habeã. Amodò igitur, ô MARIA, admirabilis Mater Redemptoris mei, agnosco me Tibi obligatum, ut ex totis viribus laudem ac amem te, tibiq́ue fideliter serviam. Specialiter autem propono, cursum tuum, aliasque à Sancta Ecclesia ordinatas preces, quamquàm sub nullo mortali obligantes studiosè ac devotissimè ex filiali ergà te affectu persolvere, ut & tu vicissim mihi in necessitatibus meis, & in illo præsertim extremo articulo, materno affectu succurras.

Nova prætereà sollicitudine ac metu afficior, quando notam illam visionem S. Edmundi recogito: hic Sanctus laudabili more, præter quotidianum pensum Canonicum, etiam cursum Beatæ VIRGINIS, Officium defunctorum, & pulchram illam orationem *ô Intemerata*, omni die recitare consueverat. Cùm autem die quodam ob labores scholasticos prædictæ orationis oblitus fuisset, sequenti nocte apparuit ipsi Sanctus Apostolus & Evangelista Joannes, baculum manu gestans, vultuque minaci Edmundum intuitus, manum suam ut porrigeret jussit: elevavit dein baculum, quasi validum ictum impacturus. Sed mox positâ irâ, ictuque suspenso, verbîs illum paternis hortatus est, ne consuetam illam, sibique tam acceptam orationem unquàm ampliùs intermitteret. O! quòd

Quòd si amabilissimus alias Joannes hunc pium, imò Sanctum adolescentem tanta acerbitate corripere minatus est, ideó tantùm quòd orationem aliquam spontaneã, & nullô modô obligantem ex fervore studiorum recitare fuerit oblitus, meritò & nobis timendum est, DEUM, Beatissimam VIRGINEM, ac Beatos Cœlites non impunè laturos, si preces ab Ecclesia ordinatas, esto, non obligantes sub mortali, ex mera negligentia aut penitùs omittamus, aut cum voluntariis distractionibus persolvamus.

§. 13.

Quænam requiratur Intentio ad Horas Canonicas ritè persolvendas?

NOn benè ageret Religiosus aut clericus quispiam, si ità suis suorumque commodis intentus esset, ut horas Canonicas semper aut pro se solo, aut pro consanguineis & amicis, aliisque privatis necessitatibus applicaret. Oportet nonnunquam, (imò potiori ex parte) altiorem finem respicere, & horas Canonicas etiam pro salute & incolumitate Ecclesiæ, pro concordia Christianorum Principum, pro extirpatione Hæresum, pro Patria, pro Communitate aut Congregatione, in qua quis degit, aliisque communibûs necessitatibꝰ offerre. Ità docet nos, atque hortatur S. Paulus 1. Tim. 2. v. 1. his verbis: *Obsecro igitur, primùm omnium*


um fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore Noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hucuſque Sanctus Apoſtolus.

Nullam facere intentionẽ, ſed ſimpliciter tãtùm & quaſi in obſcuro recitare horas Canonicas, ſignum eſt ſpiritualis acediæ aut torporis. Hinc meum quidem conſilium eſt, ut ad minimum generalem intentionem facias ante horas Canonicas, quòd ſcilicèt illas recitare velis ad eum finem, quem DEUS tuæ obligationi ac ſtatui maximè conſentaneum, nec non tibi, tuis, Patriæ, congregationi, imò toti Eccleſiæ maximè proficuum ac neceſſarium eſſe novit. Poteris etiam, ſi placuerit, rogare Dei-Param VIRGINEM, Sanctum Angelũ Cuſtodem, aut alium ex Sanctis Patronis tuis, ut tui locô intentionem facere, tuaſque horas ante Thronum DEI offerre dignetur.

Olim in bonum incipientium ac ſimpliciorum præſertim Religioſorum in lucem edidi varia exempla bonarum intentionum pro vivis ac defunctis, & præcipuè pro communibus neceſſitatibus, ad quas pro interim Lectorem Benevolum remitto; animitùs optans, ut perſolutio officij noſtri Canonici à DEO totâque cœ-

lesti curia tanquam Cymbalum benè sonans acceptetur, quatenùs sic *cantemus canticum Domini in terra aliena* hujus exilii, Psalmo 136. versu 5. ut aliquando Sanctissimam Triadem cum Electis omnibus æternùm laudare ac glorificare mereamur.

I. O. G. D.



Sacer-

SACERDOS BENEDICTINVS

Sacræ Regulæ, & vitæ Christi

Conformis.

SAnctissimus Legislator noster BENEDICTUS in Regulâ Divino Spiritu a se scriptâ, Caput 62. Ejusdem S. Regulæ inscribit *De Sacerdotibus Monasterij*, in quo magistraliter docet omnes conditiones promoti ad dignitatem Sacerdotalem in suo Ordine, planè per omnia conformes Sanctissimis Exemplis & Doctrinis Summi Sacerdotis Christi JESU, quas vt bene perpendant & observent Sacerdotes Benedictini, easdem pauculis quæstiunculis considerationi subjicio.

Textus S. Regulæ sic sonat:

Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caveat elationem aut superbiam. Nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur,, sciens se multò magis disciplinæ Regulari subditum. Nec occasione Sacerdotij obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat.

Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium præter Officium Altaris, et si fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam sibi servandam sciat: quod si aliter præsumpserit, non vt Sacerdos, sed vt rebellis judicetur. Et sæpè admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis, projiciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire Regulæ nolit

Q. 1. Cur dicatur: ut Abbas de suis eligat?

℞. Juberi Abbatem de suis eligere, vt poте quorum vitam & mores tanquam Pastor ovium suarum, qui singulas vocat nominatim, magis perspectam habere censetur, quàm extraneorum. Valdè autem notanda est particula *Eligat*, quâ innuitur *Primò* subditos non debere se ipsis affectare tam sublimem promotionem, multò minùs importunis modis & vijs se ingerere, aut tristari de negatâ, vel dilatâ ejusmodi promotione. *Secundò*, Abbati incumbere, ut suorum vitam & mores intimè scrutetur, & sic demùm ad electionem pro tanto Ministerio procedat &c. *Tertiò*, etiam in illis Monasterijs, ubi omnes post legitimam ætatem ad Sacerdotium promoveri solent,

præfa-

præfatam vitæ & morum considerationem non esse omittendam, quia ejusmodi consvetudinis vel statuti finis non est, ut omnes promiscuè nullo habito delectu & respectu ad vitam &c. etiam indigni promoveantur, sed eò principaliter tendit, ut in talibus Monasterijs tam Abbas quàm subditi in id majore studio incumbant, ut quivis post legitimam ætatem dignus inveniatur, qui ad Sacerdotium promoveatur. Consvetudo igitur & statutum hujusmodi majorem tam Abbati, quàm subditis imponit obligationem, ut qvivis pro suo posse totis viribus allaboret, ea devitare, quæ ejusmodi promotioni impedimento esse, & ea agere, quæ coram DEO eâ dignum efficere possunt.

Videndum nunc, quem modum in promovendis ad Sacerdotium tenuit Summus Pontifex noster Christus, quasvè doctrinas hâc de re nobis reliquerit. Toto triennio antequam primos novæ legis Sacerdotes ordinaret, eos summâ curâ & sollicitudine instruxit, & varijs modis eorundem aptitudinem probavit, uti palam est omnibus SS. Evangelia legentibus; immediatè verò ante institutionem hujus Sacramenti & Eorum Consecrationem, expressis verbis protestatus est dicens: *Ego scio, quos elegerim*, Joan. 13. quibus certè aliud indicare noluit, quàm delectu opus esse in promovendis ad tantam dignitatem. De non affectandâ, nec se intrudendo ad hanc dignitatem, præ

clarissimus extat Textus ad Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Sic & Christus non semet ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad Eum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* quemadmodùm & in alio loco dicit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech:* perpende singula hujus Textûs verba, mi Religiose, & vide, an tu sis melior Christo?

Q. 2. Quisnam dignus censeri debeat fungi Sacerdotio?

℞. Absque speciali revelatione non posse haberi certitudinem evidentem, aut infallibilem de cujusquam dignitate ad recipiendum Sacerdotium: loquendô itaque, de morali ejusmodi certitudine, præscindendo ab ijs, quæ Spiritum non concernunt (nam hîc solùm de Spirituali dispositione sermo est) ille conformiter ad mentem Sanctissimi Legislatoris nostri dignus esse videtur, ut ad Sacerdotium promoveatur, qui sequentibus conditionibus instructus esse dignoscitur.

Prima Conditio est, *ut DEVM verè quærat.* Ille DEVM verè quærit, cujus tota cordis intentio fertur in DEVM, & ad Ejus SS. voluntatem & legem in omnibus adimplendam, abnegatâ & devictâ omni propriâ voluntate, quæ huic contrariatur. Quod intelligendum est de adimpletione Divinæ Voluntatis non solùm in rebus magnis & gravibus

bus, sed etiam in rebus parvis, quin & minimis. Æternæ Veritatis effatum est Luc. 16. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Ex quo legitimè infertur, eum qui fidelis est in adimplenda voluntate Divina in minimis, etiam ad majora Eidem Divinæ voluntati conformiter pertractanda aptum fore: e contra verò illum, qui in modico iniquus est, indignum fore, qui ad majora admittatur, ne etiam hæc iniquitate sua contaminet. Inter hæc autem *majora* sine dubio jure merito computatur Sacerdotium, quo proinde ille dignus erit, qui priùs in minimo se fidelem probaverit. Talis certè fuit Summus Pontifex noster Christus JESUS, qui de se ipso Matth. 5. ait: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas: non veni Solvere sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat Cœlum & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit á lege, donec omnia fiant.* Quibus verbis ad Discipulos suos directis, Eos quoque erudivit, quid Eos agere oporteat, ut ad magna, quæ in Eisdem operaturus erat, se adaptent.

Ad hanc conditionem spectat verè pura & sincera intentio ex parte promovendi ad Sacerdotium. Qui per hanc summam dignitatem aliud quærit quàm DEUM, ea hoc ipsò indignissimus est. Porrò fines, qui maximè apud Religiosos vitiare possunt prædictam

inten-

intentionis puritatem, ferè sunt isti: si quis desideret Sacerdotium, ut deinceps liberiùs vivat, suisque commoditatibus magis indulgeat; ut sit in majori æstimatione hominum, ut indulgentiùs imposterùm tractetur &c. Hi & similes fortè etiam, quod absit, pejores fines, licèt fortè in exterioribus non appareant, certè coram DEO, qui scit cogitationes hominum, talem Religiosum reddunt planè indignum Sacerdotio. Cùm enim Sacerdotes sint de primariâ classe Servorum Christi, quomodo hi, amoris & honoris proprij mancipia apti erunt Servitio Christi, cùm ipsomet Teste Luc. 16. *Nemo possit duobus Dominis servire*, & S. Apostolus expressis verbis Gal. 5. dicat: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Item ad Gal. 1. de se ipso loquens ait: *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Præterea, si quis ad Thronum Regium aspiraret, ut tempus captandis muscis, alijsque puerilibus, ne dicam sordidis occupationibus falleret, quis quæso talem regali diademate dignum censeret? Quid verò aliud est Sacerdotium novæ legis, nisi Regalis dignitas, ita pronuntiante Apostolorum Principe 1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta &c.* Quomodo igitur eâdem dignus erit, qui hâc tanquam medio aut conditione ad fines tam abjectos, vanos, no-

xios, ac DEO displicentes uti peroptat? Aliter omnino procedendum esse suo præclarissimo exemplo nos edocuit Divinus Magister qui, vt quanta intentionis puritate ad Sacerdotium suscipiendum quisque se disponere debeat, nobis palam faceret, Ordinationi Apostolorum celebratissimam illam pedum lotionem præmittere voluit, in qua speciali notâ dignissima sunt verba ad Petrum, hanc pedum mundationem recusare volentem, directa: *nisi lavero te, non habebis partem mecum*. Quasi diceret: tametsi Petre cæteroquin mundus sis, quia tamen inquinatos adhuc pedes habes (NB. per pedes intelligunt SS. PP. affectus animi) nisi ab his quoque munderis sordibus non habebis partem mecum. Quæ verba exponens Menochius ait: non habebis partem in familia meâ, in mensâ meâ, præsertim Eucharistica, & consequenter nec in Ordinatione Sacerdotali, quæ tunc erat peragenda. Si igitur Divinus Magister Petrum, quibusdam inordinatis affectibus maculatum, a Sacerdotio excludere voluit, nisi antecedenter ab his mundaretur: quomodo Judicio Divino Sacerdotio digni habebuntur illi, qui non solos pedes, sed & manus, & caput inquinatum habent, & non tantùm priùs non mundantur, sed ideò accedunt, ut impunè magis magisque sordescant &c.

Secunda, Conditio est, *ut sit sollicitus ad*

opus DEI. Nomine Operis DEI intelligo, quidquid ad cultum DEI immediatum pertinet. Hoc est opus proprium Servorum DEI, & qui in hoc fidelis & sollicitus non est, neque dignus est, vt ad interiora servitia Domini sui admittatur. Porrò in specie loquendo de personâ Religiosâ, necesse est *Primò*, vt Deo fideliter reddat vota sua, quibus DEus ab ipsâ coli vult & desiderat. Hunc cultum omni jure debitum qui negat Optimo DEO suo, non est dignus, qui ab Eodem summo honore Sacerdotij afficiatur. Unde Regius Propheta in eod. Psalm. 115. dum oblationis Sacrificij, quod est officium proprium Sacerdotum, mentionem facit, præmittit & mox subjungit, *se redditurum vota sua*, vt ostendat, exactam votorum redditionem præcedere, & subsequi oportere Sacerdotij susceptionem. *Secundò*, vt summè æstimet & diligat cultum Divinum præsertim publicum, qui DEO exhibetur in Choro & Psalmodiâ. Cultus iste proximè accedit ad illum alterum qui DEO nostro exhibetur per Sacrificia, imò in Psalmis nuncupatur Sacrificium: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Psa. 49. Qui igitur in hoc cultu DEO exhibendo negligens est & incurius, is manifestum præbet indicium, quòd promotus ad Sacerdotium, in cultu Eidem Domino exhibendo per Sacrificia & alias Sacerdotales functiones, æquè sit futurus negligens & incurius

& conse-

& consequenter indignus sit, qui ad eas deputetur, ne maledictionem Divinam noviter incurrat, cúm scriptum sit: *maledictus, qui facit opus DEI negligenter*. Ierem. 48. *Tertiò*, vt non persunctoriè, sed cum magna applicatione & sollicitudine obeat exercitia Spiritualia reliqua, nimirum orationem mentalem, & vocalem, Lectiones Spirituales, Examina &c. nam sine his paulatim marcescit, ac penitùs emoritur bonus Spiritus, quo factó, quomodo, qui ejusmodi est, dignus erit fungi Sacerdotio? Cùm DEUS eos, quos ad Sacerdotium eligit, velit esse totos floridos & plenos fructibus bonorum operum, uti patet ex Virgâ, quam voluit esse signum ejus, quem Ipse in Sacerdotem elegisset, quæ non erat Virga arida & exsueca, sed gemmulas germinans, ac insuper flores, folia & fructus producens.

Exempla Christi Summi Sacerdotis in hoc genere sunt notissima, quibus non solos Discipulos, sed omnes, quotquot eorum, præsertim in Sacerdotali gradu, futuri erant Sectatores, mirificè erudivit, quantùm eis cordi esse debeat opus Divinum omni sollicitudine perficere. Lubet vnicum textum Joan. 4. pensicu latiùs considerare: *Meus cibus est*, ait Divinus Magister ad Discipulos suos, *ut faciam voluntatem Ejus, qui misit me, vt perficiam opus Ejus*. Quasi diceret: tantam gero sollicitudinem perficiendi opus Patris mei, quantam homines ge-

runt

runt de cibo corpori necessario, hæc mea quotidiana occupatio, hâc vegetor, hâc vivo. Nam quemadmodùm homo ille, qui de cibo corporali nullam gerit curam & sollicitudinem, paulatim viribûs omnibûs ac vitâ ipsâ destituatur, necesse est, ita diu Spiritu vivere non potest, qui hoc necessarium alimentum ei præbere omittit. Hoc suo exemplo tacitè monebat Christus Discipulos suos, ut ea, quæ DEI sunt, summè cordi haberent, si Ejus imitatores, & in Sacerdotio, ac animarum ad DEVM reductione, quod est officium proprium Sacerdotum, Successores esse velint.

Tertia Conditio est, *ut sit sollicitus ad Obedientiam*. Certè ingens foret audacia, inobedientem & refractarium Servum accedere ad tractanda illa Mysteria, ubi Ipse rerum omnium Dominus & Creator sese creaturæ suæ lubens subdit imperio, ac pro libitu secum agi patitur. O quanta in Summo Sacerdote nostro hujus virtutis resplendent exempla! quid enim erat Ejus tota Sanctissima vita, nisi continuum perfectissimæ Obedientiæ exercitium, cùm scriptum sit de illo: *erat subditus Illis* Luc. 2. item: *Factus Obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*.

Notum est omnibus Crucem Altaris vicem subijsse, in quo Pontifex Christus JESUs semet ipsum pro salute nostrâ Æterno Patri cru-

entam

entam Hostiam immolavit: voluit ergo huic cruento Sacrificio, quod est ejusdem speciej cum nostro incruento, tanquam præparationem inter alias præcipuam præmittere Obedientiam, non unius vel alterius anni, sed â primo Conceptionis instanti usque ad ultimum vitæ inclusivè, eamque omnibus numeris absolutissimam, quô facto omnes suos in Sacerdotio Successores monitos voluit, quanti momenti sit ad dignè Sacrificandum, sese per continuatum & perfectum hujus virtutis exercitium præparare.

Quarta Conditio est *Humilitas*. S. August. Serm. 10. de Verb. Dom. *Cogitas*, inquit, *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* O quàm excelsa res est Sacerdotio fungi! ergo quemadmodùm fabrica ante celsitudinem humiliatur, ita nemo securè, nisi post humiliationem profundissimam fastigium Sacerdotale conscendit. Hanc veritatem ut intimè cordibus Discipulorum suorum, primorum novæ legis Sacerdotum, imprimeret Dominus noster, usque eò inauditæ humilitatis exemplum eorundem Ordinationi præmittere voluit, dum referente S. Joan. Evang. Cap. 13. Surrexit â Cœna, posuit vestimenta sua, accepit linteum, præcinxit se, misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Taceo alios miros modos,

quibus

quibus in hac virtute Discipulos suos frequentissimè exercuit, eosque ut á se hanc virtutem discerent, est cohortatus.

Dices. has Conditiones â Sanctissimo Legislatore præscriptas fuisse Novitijs, vt per has ad profitendum Statum Religiosum se præpararent, non autem Professis, vt earundem exercitatione dignos se redderent, qui ad Sacerdotium eligantur.

℟. Sanctissimum Legislatorem non eâ mente præscripsisse Novitijs has conditiones, vt emissâ professione ab earundem exercitatione desisterent, sed vt indies magis in ejs proficerent; & hoc tantò ampliùs, qvantò ad subliniorem statum essent evehendi. Cujus rei necessitas inde comprobari potest, quòd nullus in Ordine nostro deficiat, nisi qui ab unâ vel pluribus istarum conditionum recedit: & quòd status Sacerdotalis ijs non solùm non prosit, sed maximè damnosus existat, qui hisce conditionibus destituti inveniuntur, vt in fine exemplô Judæ proditoris declarabitur.

Q. 3. Quænam actualiter Ordinato Presbytero præscribat SS. Legislator?

℟. Sequentia. *Primò*, vt caveat elationem aut superbiam. *Secundò*, vt nihil præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ Regulari subditum. *Tertiò*, vt occasione Sacerdotij non oblivisca-tur Regulæ Obedientiam & Disciplinam, sed

magis

magis ac magis in Domino proficiat. *Quartò* ut locum semper illum attendat, quo ingressus est Monasterium. *Quintò*, ut etiam inferiorum Officialium Regulari ordinationi se subdat. Nunc singula expendamus. Sit igitur.

Q. 4. In quibus rebus, & quâ de causâ primariò elationem & superbiam fugere jubeatur promotus ad Sacerdotium?

℟. In tribus præcipuè cavendam esse elationem aut superbiam ei, qui ad Sacerdotium promotus fuit. *Primò*, Ne hanc promotionem suis meritis ullâ ratione adscribat, sed oculos potiùs continuò ad suum nihilum & indignitatem reflectat, cum profundissimâ humilitate perpendens suam vilitatem & peccata, ob quæ meritó repelli debuisset, ne Sacerdotio fungeretur, nec sibi vanè complaceat, aut quidquam sibi de illo honore arroget, qui huic gradui Sacerdotali deferri solet, dicat verò cum Psalmista DEO: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da Gloriam. Secundò*, Ne occasione Sacerdotij minùs circumspectus sit, ac de suis viribus præsumens, sese periculis labendi exponat, quin potius suam fragilitatem semper suspectam habeat, magisque orationi & vigilantiæ incumbat. *Tertiò*, Ne ob sublimitatem hujus statûs cuiquam se in animo præferat, sed magis exempla humilitatis omnibus det, semperque sit memor illius doctrinæ S. Basil. Serm. de abdic. Rel. dicentis: *Non te gradus*

Cleri

Cleri extollat, sed potiùs humiliet: progressus enim animæ progressum humilitatis facere debet: quantò magis ad Sacros gradus te accedere contigerit, tantò magis humilia te ipsum.

Porrò causa, ob quam SS. Pater primô locô promotis ad Sacerdotium superbiæ fugam commendat, desumi potest â proclivitate lapsûs in hoc vitium, & necessitate virtutis oppositæ: nam vt S. Greg. Pap. Past: p. 3. c. 6. ait: *Humana mens plerumque extollitur, etiam cùm nulla potestate fulcitur, quantò magis in altum se erigit, cùm se etiam potestas adjungit.* Experti sunt hoc Apostoli, qui vix Sacerdotiô initiati, teste S. Luca cap. 22. quæstionem de majoritate inter se movere cæperunt: *Facta est autem & contentio inter Eos, quis eorum videretur esse major.* Quapropter humilitatis Magister Christus JEsus, vt hanc Humilitatis doctrinam, quam ante eorundem Ordinationem exemplô & verbô proposuerat, ejsdem penitùs imprimeret, iteratò pulcherrimâ instructione ac adductis rationibus confirmavit dicens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* In quæ verba Barradius *Tom. 3. Lib. 6. c. 10.* apud Ethnicos, inquit, quibus Divina Lux non af-

fulsit

fuisset, solent Principes Ethnici dominari hominibus sibi subiectis, & qui majores inter eos sunt, potestatem in inferiores exercere. At vos longè ab Ethnicis distare debetis; Ethnicis relinquite ambitionem & superbiam; aliam animo concipite existimationem. Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester Servus. Inter Ethnicos major est, qui superbè dominatur, inter vos qui voluerit esse major, minister omnium erit &c. Non sunt nostra, inquit Chrysostomus, externis similia. Nam apud gentes, qui Principes sunt, ipsi dominantur; apud me autem, qui ultimus est, summa tenet &c. Hieronymus: ad summitatem virtutum non potentiâ, sed humilitate venitur. Exemplo dein suo humilitatis documentum probat Dominus: nonne Christus Dominus erat Orbis totius: nonne potestate Divinâ præcellebat? nihilominùs ad ministrandum venit humiliter, & moriendum, non ad dominandum arroganter. Hæc ille. Duplici ergo motivo suos Christus ad humilitatis continuæ exercitium cohortatur *Primò*, ne fiant similes Ethnicis, qui quo ad majorem gradum dignitatis evehuntur, eò plùs superbiunt. *Secundò*, suo proprio exemplo, qui licèt esset omnium Supremus Dominus, non tamen venit in terram ministrari, sed ministrare. Præterea aliud quoque insigne humilitatis docu-

documentum reliquit Divinus Magister Discipulis suis jam a se Sacerdotali dignitate decoratis, cùm enim videret eos, & præ omnibus Petrum, nimiùm de suis viribus præsumentes, nec satis solicitos ad se se muniendum contra ingruentia á suo Magistro deficiendi pericula; seriò eosdem suæ fragilitatis admonuit, prædicendo omnes eâdem nocte scandalum passuros ac dispergendos, simulque com monendo, vt orationi & vigilantiæ insistant, ne in tentationem incidere contingat. Nominatim verò Petro, qui præ reliquis omnibus præsumptuosus videbatur, non contentus semel prædixisse sui negationem, ex mente S. August. *Lib. 3. de Cons. Evang. Cap. 2.* ter eandem negationem ei prædixit. Hoc, inquit, esse credibilibus, quòd ter ostenderit præsumptionem suam Petrus, & de trinâ suâ negatione ter â Domino audiêrit, ex ipsis Evangelistarum verbis probatur. Sic ille. Insuper dum hâc trinâ prædictione necdum satis emendatus esset Petrus, vt suam ei fragilitatem ad oculum demonstraret, ac necessitatis orandi & vigilandi admoneret, postquam in hortum egressus orationi aliquamdiu incubuisset, reversusque ad Discipulos, eosdem dormientes invenisset, ad Petrum sermonem dirigens ajebat: *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare? vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Quasi diceret: siccine ô Petre, qui trinâ asser-
tione

tione te inter omnes fore constantissimum, paratumque mecum & in mortem ire præsumptuosè nimis jactâsti, non potuisti tu unâ horâ vigilare mecum? ergo ex hac tuâ inconstantiâ vel nunc tandem imbecillitatem tuam intellige, ac tuis viribus diffisus, ne in graviora pericula ruas, orationi ac vigilijs insiste, quantumvis enim Spiritus tuus, & tuorum Condiscipulorum promptus, caro tamen infirma est & imbecillis, ideòque necessariò omni conatu vigili oratione corroboranda &c.

Ex quibus omnibus patet, quàm sapienter & Christi exemplis conformiter SS. Pater Benedictus primo loco promotis ad Sacerdotium Humilitatem commendet, cùm Ipsa Divina Sapientia tantoperè laborârit, vt Discipulos suos jam Sacerdotes novæ legis â se creatos hanc virtutem probé edoceret. Discant etiam Sacerdotes, quanti momenti sit hæc virtus ad in omni bono persistendum; si enim Discipuli, & nominatim Petrus, qui tot jam specimina sui in Christum amoris edidêre, quia tamen adhuc nimiùm in se ipsis confidebant, & conformiter monitis sui Magistri satis sollicitè contra instantia pericula non semuniêre, turpiter prolapsi sunt; quid fiet illis, qui multa alia elationis & superbiæ indicia præbent, ac forsan nullius jam se egere auxilio existimant, atque ultrò se periculis objiciunt &c.

Q. 5. Quid circa secundum punctum q. 3.

deſcriptum; obſervandum ſit promoto ad Sacerdotium.

℟. Jacto ſolidiſſimo humilitatis fundamento, ſtudiosè curandum, ne ſub quocunque colore aut prætextu Obedientia Superioribus debita intermittatur, avt ſaltem minuatur. Solet aſtutiſſimus humani generis hoſtis, qui optimè novit, quantùm veri obedientes ad ejus machinationes evertendas roboris habeant, omnibus modis procurare, vt hujus virtutis neceſſitatem ac æſtimabilitatem abſcondat, imò ſi fieri poſſit, etiam varijs propoſitis Sophismatibus perſvadeat, vivere in continuâ ſubjectione, ac omnimodâ dependentiâ rem eſſe prorſus puerilem, vilem & deſpectam, ac proinde illis minimè convenire, qui ſibi ipſis ſufficiunt, nec pueri, nec abjectæ conditionis, ſed ſapientes, ac ad ſublimem dignitatis, præſertim Sacerdotalis gradum evecti ſunt &c.

Contra has & ſimiles antiqui hoſtis inſidias vt ſuos filios communiret pius Pater, ſecundo loco promotis ad Sacerdotium præſcribit, vt ab Obedientiâ, ſubjectione majoribus debitâ, nec latum vngvem recedant, firmiterque ſibi perſvadeant, ſe defacto non minùs, ſed multò magis diſciplinæ regulari ſubditos: quibus verbis inſuper innuitur, Sacerdotij dignitatem non ſolùm neminem liberare aut abſolvere â lege & obſervatione Regulæ, imò Sacerdotij causâ diligentiùs atque perfectiùs

Regu-

Regulæ præcepta esse servanda, verùm etiam transgressores Sacerdotes non liberari â castigatione, sed acriùs etiam corripiendos. Quò enim gradus est altior, eò casus gravior: tum ratione scandali & mali exempli, quod magis noxium est â Sacerdote, quàm â minore; tum ob violationem majoris dignitatis, & Ordinis, quem gerit. Malè ergo ageretur cum illo Sacerdote, qui licet frequentes transgressiones Regulares admittere parùm pensi haberet, nihilominùs corripi aut puniri propterea nollet, existimans hunc procedendi modum erga juniores quidem rectè observari, at respectu Sacerdotum aut irreverentiam, aut indiscretionem esse. Verùm aliter sentit & præscribit Sanctissimus Legislator, aliter docuit Christus, quorum vterque intimè novit pensare Sacerdotalis gradûs dignitatem.

Nam primò, loquendo de Obedientiâ & subjectione majoribus debitâ, quæ excellentior & perfectior excogitari potest, quam fuerit illa Christi summi Sacerdotis, DEI Hominis? audiatur de hac Apostolus ad Hebr. 5. *Et quidem cùm esset Filius DEI, didicit ex ijs, quæ passus est, Obedientiam.* Quæ verba hunc in modum exponit Menoch. sensus est, inquit, cum esset Filius DEI, cui proptèrèà immortalitas, & gloria Corporis, & exaltatio Nominis sui debebatur, pati voluit, & per passionem didicit Obedientiam, id est, experimento cognovit

vit vim & præſtantiam Obedientiæ, quàm grata DEO ſit, & quanta bona conciliet, nam quod ut Filio debebatur, per Obedientiam paſſionis meruit & obtinuit. Hæc ille. Quis igitur Obedientiam ut rem vilem, contemptam, ac ſolis pueris convenientem accuſſabit, cùm Ipſe DEI Filius, ac Sacerdos in æternum tanti æſtimârit, & practicârit.

Reflectendo dein ad alterum hujus puncti membrum, certè minimè diſſimulavit Divinus Magiſter Diſcipulorum defectus, etiam poſt adeptam Sacerdotij dignitatem admiſſos; vt enim nihil dicam de ijs, quæ in præcedenti quæſt. circa contentionem, præſumptionem, & ſomnolentiam allata ſunt, vbi condeſcendens eorum infirmitati mitibus ſolùm verbis errorem oſtendit, poſt reſurrectionem tamen non omiſit Eos liberiùs reprehendere: vnde Diſcipulis euntibus in Emaus dixit: O *Stulti & tardi corde ad credendum &c.* Petro curiosè ſciſcitanti, quid de Joanne futurum eſſet? reſpondit, *quid ad te, tu me ſequere*, non obſtante, quòd Eum paulò ante pro ſui ſummi in terris Vicario declaraverit. Iterum interrogantibus de Regno reſtituendo dixit: *non eſt veſtrûm nôſſe tempora & momenta &c.* & tandem noviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem Eorum, & duritiam cordis &c.

Q. 6. Qualiter in praxim deducenda ſint verba

verba: *ut occasione Sacerdotij non obliviscatur Regulæ Obedientiam & Disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat?*

℟. His verbis exstimulari Sacerdotes ad continuum profectum, etsi nullus esset, qui Eosdem ad hunc extrinsecùs adigeret. Non est ergo contentus SS. Legislator solùm Superiori expressè quidpiam præcipienti aut prohibenti parere, uti præcedenti puncto dictum est, sed insuper requirit in ipso subdito continuum studium & conatum ad perfectionem Religiosam & conformationem morum cum suâ S. Regulâ, etiamsi ad hoc nullus Superior adigat: & licèt conatus iste etiam in non Sacerdotibus inveniri debeat, speciali tamen titulo id Sacerdotibus præscribitur: tantò enim perfectiorem esse oportet Sacerdotem Monachum, quantò perfectiùs Sacerdos ad Altare non tam imitari tenetur, quàm referre Christum, & Christum quidem vsque ad mortem (nullo cogente) obedientem, Agniculum factum pro nobis omnibus holocaustum & Sacrificium, inquit Gerardus Belga. Unde etiam Christus, postquam Apostolos Sacerdotio initiavit, prolixum ad Eos sermonem habuit, in quo Eis omnimodæ perfectionis documenta tradidit, atque ad eorundem executionem est exhortatus.

Quod verò modum hoc practicè exequendi attinet, sanè præclarissimus erui potest ex illis

illis ipsis, quæ Christus Dominus Noster absolutâ Cænâ, in quâ Discipulos novæ legis Sacerdotes, vt sæpè dictum est, ordinavit, Eosdem docere dignatus est, quæ nostræ S. Regulæ accommodata Sacerdotibus nostris Phari instar lumen præbebunt, quo securi ad perfectionis portum pertingant. Sopita contentione Discipulorum, & traditis solidissimis humilitatis documentis, de emendis gladijs Sermonem subinfert divinus Magister: patet autem ex alio Evangelio Matth. 10. per gladium indigitari abnegationem, ait enim: *non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem adversùs patrem suum &c.* quasi diceret: nunc CharissimiDiscipuli novæ legis Sacerdotes â me constituti, si unquam aliàs, nunc certè gladijs vobis opus esse sciatis velim, nunc ampliùs amputanda omnis affectuum inordinatio, nunc perfectiorî modô practicanda doctrina olim vobis à me tradita: *qui vult venire post me, abneget semet ipsum*: hæc Christus: hæc ipsa S. P. Benedictus suis sectanda proponit: quid enim aliud abrenuntiatio, de quâ in *principio Prologi*, & abnegatio, de quâ *instru.* 10. nisi gladius, quo omnem inordinationem, voluntatem propriam &c. â suis in semet ipsis amputari vult SS. Legislator? quod commune omnibus mandatum, ob rationes suprà allatas magis tangit promotos ad Sacerdotium, cùm isti ob insidias dæmonis majores, ac fortè etiam occasiones periculosiores, majore quoque

que vigilantiâ & cautelâ opus habeant. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Hoc alterum est Christi Discipulos suos Neo Sacerdotes instruentis monitum. Vocatur autem novum Interprete Barradio *Tom. 4. Lib. 3. Cap. 20.* quia volebat Christus tunc illos noviter incipere illud observare. Continebat hoc mandatum magnam perfectionem, æquum ergo erat tunc de novo exigere ejus exactam observantiam, quando se videbant ad tam sublimem Sacerdotij gradum evectos.

De hoc dilectionis mandato varijs in locis varia præscribit SS Legislator; huc enim referuntur omnia, quæ de amore fraterno, de honore omnibus exhibendo, de tolerandis defectibus, de mutuâ subventione, de circumspectâ & cautâ conversatione hinc inde solidissimè in S. Regulâ commemorantur, quorum observationi promoti ad Sacerdotium novo Spiritûs fervore & sollicitudine incumbere debent, dictum sibi ab ipsomet Christo existimantes: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Ex reliquis, quæ Christus in prolixo sermone suis commendavit Discipulis, discat Sacerdos Benedictinus *primò* non turbari & dejici animo etiam inter quaslibet adversitates & injurias, aut solatiorum mundanorum defectum, sed quovis tempore spem suam DEO

com-

committere *Inftr.* 41. & fecurus de fpe retributionis Divinæ in ipsâ Obedientiâ & obfervantiâ regulari, duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injurijs tacitâ conscientiâ patientiam amplecti gr. 4. &c. *Secundò* dilectioni Divinæ nihil præferre, quæ tamen præceptorum Divinorum & S. Regulæ obfervatione comprobari debet. *Tertiò*, ne mundanorum judicio, principiis, odio, â Doctrinâ Chrîsti & Spiritu fuæ S. Regulæ ullâ ratione abduci fe finat, fed his omnibus contemptis afpiciat in Auctorem fidei & Confumatorem Jefum, qui propofito fibi gaudio fuftinuit Crucem, confufione contemptâ, eligatque potiùs Chrifti paffionibus per patientiam participare, quàm cum mundo & mundanis, pro quibus Chriftus ne quidem Patrem fuum Cœleftem rogare dignatur, temporaliter lætari & honoratum effe &c. Hæc pauca fic ex multis, quibus fermo Chrifti, & noftra S. Regula abundat, proficiendi magis magisque inftrumentis feligere placuit, ut horum obfervationi cum poffibili Spiritûs fervore infiftentes NeoSacerdotes magis ac magis in Domino proficiant.

Q. 7. Cur S. P. Sacerdotibus præfcribat, ut locum fuæ profeffionis femper attendant, ac etiam inferiorum Officialium regulari ordinationi fe fubjiciant?

℞. Rationem primi affignari poffe *primò* humi-

humilitatis custodiam, quæ, vt supra dictum est, in eminenti Sacerdotalis gradûs fastigio majoribus periculis est exposita. *Secundò*, ut hac ratione continuam suæ professionis, & contractarum per eandem obligationum memoriam conservet, sciatque sibi vivendum esse non ut qualemcunque Sacerdotem, sed vt Sacerdotem Monachum. *Tertiò*, ut videns se plures in Religione jam annos exegisse, modicum tamen in perfectione profecisse, juniorum etiam necdum Sacerdotum exemplis & fervore confundatur, & ad perfectionis Studium indefessum excitetur.

Ratio secundi esse videtur *primò* conservatio debitæ subordinationis, summè necessariæ ad quodcunque regimen. *Secundò*, exercitium continuæ, & magis meritoriæ Obedientiæ, dum propter Deum etiam inferioribus, & fortè professione junioribus nos subijcimus. *Tertiò*, ut hæc ipsa virtus Obedientiæ, quam tantoperè suis inculcat SS. P. efficiatur magis solida, cùm contingere posset, ut, si solis Superioribus præstanda esset, id fieret solúm ex humano vel politico motivo, quod omnem soliditatem hujus virtutis enervat &c.

Ne autem quis existimet, hæc non convenire dignitati statûs Sacerdotalis, continuò præ oculis, habenda sunt exempla Ejus, cui dictum est; Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech;

Is quam-

Is quamvis toto vitæ suæ sanctissimæ tempore perfectissima dederit hujus virtutis exempla, ea tamen vel maximè in suâ SS. Passione resplendere fecit, dum non solis Pontificibus & Magistratibus, verùm etiam Carnificibus, & sceleratis ac vilissimis servis promptè obedivit idque, vti credibile est, præter alios etiam eo fine, vt Discipulos suos (quos jam novæ legis Sacerdotes constituerat) omnesque Eorum in Sacerdotio Successores exemplo suo doceret, Humilitatis & Obedientiæ etiam inferioribus exhibitæ actibus non minui, sed plurimùm augeri & exornari Sacerdotium, & harum virtutum studiosos maximam sibi apud DEUM promereri gloriam, vti de Eodem Salvatore testatur Apostolus ad Phil. 2. *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit Illi nomen, quod est super omne nomen, vt in Nomine IESV omne genu flectatur Cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingva confiteatur, quia Dominus IESVS est in gloria DEI Patris.*

Occasione vltimorum verborum hujus Cap. 62. *quòd si aliter præsumpserit, non Sacerdos sed Rebellis judicetur &c.* quæri potest, quæ sint causæ potissimæ deficientiæ Religiosorum Sacerdotum?

Antequam respondeam, lubet præmittere descriptionem horrendi lapsûs Judæ Iscariotis, quo palam fient omnes Scopuli, quos evitare

tare debent Religiosi Sacerdotes, ni ê statu suo sublimi in extremam perniciem decidere velint. Judas, quo tempore electus fuit à Domino in Apostolum, ex mente Barradij *Tom. 2. Cap. 14. pag. 422.* & aliorum, quos ibi citat, non erat improbus, sed sanctæ voluntatis, paulatim tamen per negligentiam & pigritiam decidit, & vt loquitur S. Chrysost. *Homil. 10. de pœnit. Pigritans factus est proditor.* Noverat initio aptè palliare malitiam, in quam cul pâ suâ prolapsus est: unde avaritiam & murmur suum occasione ungventi pretiosi, quo Magdalena Domini pedes unxerat, veste charitatis in pauperes tam bellè contexit, ut etiam reliquos Discipulos in suam pertraxerit sententiam; quin & ipsum proditionis scelus usque adeò occultare novit, vt usque ad actualem executionem nemo Condiscipulorum suorum quidquàm tale de eo fuerit suspicatus, excepto solo Joanne, qui ex revelatione Divini Magistri id cognoverat. Porrò occasio prodendi Christum Principibus erat effusio ungventi pretiosi, quæ cùm ejus avaritiæ plurimùm repugnaret, usque adeò, concitatus est animò, vt pessimis interpretationibus Magistrum suum aggrederetur, quin & famam Ejus coram Principibus discinderet, nempe quòd ipse hucusque Eum vt Virum Sanctum & austerum reputaverat; at verò quòd modò Eum agnoscebat tanquam deliciosum, quòd blandimen-

dimentis ac lenocin js gauderet, cùm passus fuisset se ungi ungvento pretioso, quod si esset venditum, ex ejus pretio multæ eleemosynæ in pauperes expenderentur. vid. Sylve. *L. 7. c. 3. q. 8. n. 46.* Verùm non stitit hîc Judæ malitia sed de hypocrisi in hypocrisin, de scelere in scelus prolabitur: concepta siquidem vili æstimatione & odio sui Divini Magistri, ut verbis D. Chrysost. *Homil. de Juda Prod.* utar, beneficia respuit, conversationis mensæ, Discipulatûs, monitionis ac suasionis oblitus est. Nec tantùm oblitus, sed ostensione omnipotentiæ, humilitatis & benignitatis Domini magis exagitatus, eòusque in ambitione & impudentiâ processit, ut Petro se præferre, & solus cum Christo, quod alij Discipuli præsumere non sunt ausi, in eodem paropside manum impudenter mittere non extimuerit. Primi facti testem adduco D. Chrysost. *Hom. 69. in locum:* credibile est, inquit, Proditorem stultum existentem ante Petrum recubuisse. Omnes Apostoli, verba sunt Sylveir. *Lib. 7. Cap. 5. q. 27.* Judâ exceptô, Sanctitate ac puritate conspicui, post Petrum sederunt, at verò Judas rusticus ac stultus ambitione primum locum insolenter & arroganter occupat. Alterum disertis Verbis pronuntiat Euthym. adeò, inquit, Præceptorem despexerat Judas, ut jam Eum non vereretur, sed cum eo intingeret. Quam Judæ petulantiam & impudentiam eleganter

ganter arguit D. Leo *Serm. 7. de Pasch.* Tu Juda, ait, in trepidatione Sanctorum abuteris Domini patientiâ, & abscondi te credis tuâ audaciâ; Addis impudentiam sceleri, nec signo evidentiori terreris. Cùmque se à cibo alij, in quo judicium Dominus posuerat, continerent, tu manum non retrahis à paropsi ie, quia animam non avertis à crimine. Quod expendens Sylv. *Cap. 6. q. 7.* ait: tanta iniquitate plenus erat Judas, ut non contentus proditione, illi etiam impudentiam accumularet, grave illud crimen, quod Magistrum suum tradere machinaretur, gravius verò, quòd effrons & impudens manum mittens cum Eo in catino ad ipsum accedere auderet: hæc ille. Et quamvis tanta malitia inesset Judæ, justus tamen & innocens videri volebat; atque inde impudens simulator Christum Ipsum interrogare non reformidat, num ipse futurus esset proditor? cui interrogationi, ut magìs suam palliaret nequitiam, addit blandientis affectum; cùm enim cæteri Apostoli Christum de hoc ipso interrogarent, Dominum vocant, Judas solus mutato stylo vocat Eum Rabbi, quod advertens D. Hieron. apud Sylv. Blandientis, ait, jungit affectum, sive incredulitatis signum. Et Carthus. ut cæteris Judas se innocentiorem ac securiorem demonstret, non Dominum sed Magistrum vocat JEsum, tanquam magnum blandientis affectum, ac eximiam

dilectionem & docilem subiectionem erga Eum ostendens. Solent siquidem simulatores & callidi sic loqui, & singularibus nominibus uti, ne quid mali existimetur de illis. Atque hic ferè fuit vivendi modus, quem Judas tenuit, antequam ad summam Sacerdotij dignitatem à Christo eveheretur. Et quamvis hæc omnia intimè perspecta haberet Divinus Magister, noluit tamen malam ejus vitam exclusione ab hac dignitate, suique Sanctissimi Corporis communione evulgare, ut suæ eximiæ charitatis daret exemplum, & per eam Judam ad pænitentiam adduceret. Nec quidquam tamen hîs omnibûs permotus jam in profundum peccatorum demersus proditor, ausu prorsus temerario sacrilegè suscipit Sacramentum Ordinis & Eucharistiæ: quo horrendo facinore perpetrato ad eam malitiæ abyssum est devolutus, ut quæ priùs in occulto moliebatur, jam toto orbe inspectante haud sit veritus perpetrare; subducens siquidem se, instigante dæmone, qui cor ejus jam totum possederat, ab amabilissimo consortio, alloquio, & conversatione Christi ac Condiscipulorum suorum, abijt ad Principes Sacerdotum scelus jam antè animô conceptum executioni daturus; nec mora: venit comitante turbâ militum, cum gladijs, fustibus, & laternis in hortum, ibique mansuetissimum Agnum osculi signo rapacibus lupis rapiendum ac mactandum tradit,

contemnens insuper omnipotentiæ Christi manifestationem, dum omnes retrorsum abire fecit, ac amabilissimam, quâ se amicum vocarat, compellationem, tandem gravissimò desperationis, ac suîcidij scelere sceleribus antéactis finem funestissimum imponit. Hæc tragica scena est Sacerdotis novæ legis ab Ipsomet summo omnium Pontifice Christo JESU ad id munus promoti, nec tamen per suam culpam & malitiam se ad hoc dignè recipiendum præparantis, aut vitam tanto honore dignam viventis, quin potiùs omnia alia ante & post illius susceptionem agitantis. Prolixiorem hanc miserandi interitûs descriptionem responsioni ad quæstionem supra propositam præmittere volui, non quòd existimem, aliquos Religiosorum ad tantum malitiæ profundum descendere solere, sed ut hoc exemplo territi omnes, etiam remotiora pericula tam horrendi prolapsûs totis viribus præcavere satagant, & si qui fortè, quod absit, vitijs illis, mox in proditore Judâ recensitis, se laborare, aut initijs quibusdam eorundem se pulsari animadverterent, celeriter & seriò, si interitum evadere velint, resipiscant. Nunc ad Quæstionem

℟. Potissima causa deficientiæ Religiosorum Sacerdotum est defectus debitæ præparationis ad susceptionem Sacerdotij, & sollicitudinis vitam tam sublimi gradui convenientem institu-

instituendi. Subjungam hîc præcipua, quæ cavenda sunt ante susceptionem Sacerdotij, desumpta ex jam præmissis, & descriptione interitûs Judæ, ut faciliùs memoriæ commendentur.

Primò caveat Religiosus, ne se ipsum importunis sollicitationibus ad hanc dignitatem quasi intrudat.

Secundò caveat habere finem minùs rectum, ob quem ad Sacerdotium promoveri desiderat;

Tertiò, caveat teporem & neglectum minimorum, quia Judas pigritans factus est proditor.

Quartò caveat omissionem, aut perfunctoriam persolutionem exercitiorum Spiritualium, ac negligentem usum Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ.

Quintò caveat proprij judicij & voluntatis tenacitatem, & omnem inobedientiam, & irreverentiam erga suos Superiores.

Sextò caveat nimiam erga quamcunque rem creatam affectûs adhæsionem; nam hæc de facili magnorum malorum, etiam antehac nunquam cogitatorum, occasio esse potest.

Septimò caveat malam interpretationem, & impatientem observationem factorum proximi, & præsertim Superiorum, ac omne murmur & detractionem.

Octavò caveat omnem duplicitatem, hypocrisin, & simulationem.

Nonò caveat omnem sui super alios quosquè elationem.

Decimò caveat omnem in correctionibus passivis impatientiam.

Vndecimò caveat ingratitudinis vitium. His si Judas cavisset, nunquam ad tantam malitiam devenisset.

Cavenda post susceptum Sacerdotium.

Primò caveat omnem elationem & superbiam.

Secundò caveat oblivionem hujus summi sibi collati beneficij.

Tertiò caveat quidquid veram supernaturalem Obedientiam labefactare potest.

Quartò caveat, ne se unquam â Superiorum & Confratrum serventium admonitionibus aut correctione subducat, aut ægrè talia suscipiat.

Quintò caveat Spiritualium exercitiorum neglectum, ac præsertim tepidam & perfunctoriam, ac quasi consuetudinariam SS. Sacrificij oblationem.

Sextò caveat occasiones periculosas, nunquàm suæ virtuti nimium fidat.

Septimò caveat se conformare dictaminibus mundanorum, tepidorum, & nullo respectu aut metu se â solido proficiendi studio deterreri permittat.

Octavò caveat, ne post lapsum quemcunque doloris ac pœnitentiæ remedium differat, ne fictam, avt nullam agens pœnitentiam, tan-

dem permittente DEO cum Judâ abeat in locum suum.

Ex his facilè quisque colliget, quid ei â contrario agendum sit, qui à deficiendi periculis in hoc SS. Statu immunis esse desiderat.

Pro complemento dictorum unum adhuc addendum videtur, ut videlicet ad Sacerdotium promovendi, præter præparationem remotam, de quâ in præmissis actum fuit, ferventissimam quoque præmittant præparationem proximam actuali susceptioni Sacerdotij: illi verò, qui actu ad Sacerdotij gradum sunt evecti, præter vitam & mores boni Sacerdotis supra descriptos, ad SS. Missæ Sacrificij oblationem ingenti fervore & devotione sese proximè disponere, illud actu offerre, & post illud cum Divino Hospite se occupare non omittant.

De hoc posteriore modo, præter alios plures, nominatim R. P. Ignatius Clavenau Celeberrimi Monasterij Admontensis Professus in Tractatu suo de Sacrificio Missæ, qui habetur Tomo 2. operum ejusdem novissimè Salisburgi impressorum, tam præclara proponit documenta & praxes, vt nihil ijs hîc addendum videatur, præterquam quòd eorum devotum usum Lectoribus, præsertim Benedictinis, impensè commendare debeam. Lubet proinde pauca solùm notare de priore, id est proximâ præparatione ad actualem Sacerdotij susceptionem requisitâ.

Medi-

Medium præcipuum hanc præparationem serventissimè instituendi, sunt Exercitia Spiritualia saltem octo dierum, in omnibus ferè benè ordinatis Monasterijs susceptioni Sacerdotij præmitti solita; hæc enim, suis conditionibus, quibus oportet, & res tanti momenti requirit, peragantur, mirum est, quantùm habeant efficaciæ ad animam taliter disponendam vt in subsecutà susceptione sacratissimi Ordinis, præter gratiam sanctificantem, virtutes & dona Spiritûs Sancti, alijs insignibus proprijs & specialibus gratijs, etiam extraordinarijs, exornetur, quarum infra ex P. Lancicio, ad earundem desiderio magis inflammandos animos, catalogum subnectam.

Appropinquante igitur Ordinationis Sacerdotalis tempore, Monachus Benedictus Sacerdotio initiandus, aurem cordis accommodet, verbis sui Sanctissimi Legislatoris in Prol. dicentis: *in primis vt quidquid agendum inchoas bonum perfici instantissimâ oratione deposcas.* Cùm enim omnia ad hoc ministerium pertinentia vires naturæ excedant, necesse planè est, vt ante omnia rogemus Dominum, vt quod minùs habet natura possibile, jubeat Ipse gratiæ suæ adjutorio ministrari. Frequentanda itaque sunt hoc potissimùm tempore ardentia ad Deum suspiria, quatenus suâ infinitâ Bonitate corpus & animam, ad suscipiendum tam mirum & Ecclesiæ S. adeò necessarium ac utilem Sacer-

 dota-

dotalem characterem, omnibus modis sibi gratissimis præparare dignetur.

Quia tamen præter orationem humilem & ferventem, opera insuper à Deo desiderantur, quibus Gratiæ Divinæ cooperemur, subjungo hic aliqua, in quibus hoc Spiritualium exercitiorum tempore potissimùm sese exercere, & solidè fundare debeat ad Sacerdotium promovendus.

Primò benè perpendat vitam suam ad præsens usque tempus in Religione transactam, in specie se reflectendo, num in se inveniat conditiones supra enumeratas, maximè quo fine ad Sacerdotium aspiret? fine siquidem ritè constituto, cætera haud difficulter sequentur; cùm è contrario, hoc sinistrà quâdam intentione aut affectu infecto, reliqua etiam suâ soliditate destituantur. Hoc punctum est summi momenti, à quo tota ferè vita bona vel mala post Sacerdotium dependet: cùm certum sit, eos, qui inquinatâ intentione Sacerdotium suscipiunt, nisi eam efficaciter retractent, paulatim justô DEI Judicio ita deficere, ut præter Religiosum habitum vix quidquam Religiositatis in moribus sit reperire. Porrò finis iste nunquam, ut oportet, stabilietur, nisi animus expurgetur ab omni affectu ad quodvis peccatum veniale, & â pravis dictaminibus, in prudentiâ humanâ, & politicâ mundanâ fundatis. Hæc quippe mentem ita obscurare, & depres-

sam

ſam tenere ſolent, ut terrenis potius, quàm ſupernaturalibus rationibus moveatur, & conſequenter nunquam pertingat ad illam intentionis puritatem, quæ ad tam ſublime miniſterium adferenda foret.

Secundò conſideratâ vitâ præteritâ, & efficaciter correcto fine, ſi quis fortaſsè minùs rectus aut purus intervenisset, de cæterò ab omni nævo, & contractis quibuscunque maculis, etiam venialium peccatorum, per media ab Eccleſiâ ordinata ita expurgandus eſt animus, vt quantum, DEO adjuvante, in ipſo eſt, inſtar nitidiſſimi Chryſtalli (cujus puritatem accedentes ad Sacerdotium adæquare debere, Seraphico S. Franciſco in viſione quâdam monſtratum fuit) refulgeat.

Tertiò, ſolicitè proſpiciendum, vt animus firmiſſimè muniatur contra futura poſt ſuſceptum Sacerdotium deficiendi pericula, præſertim in virtutibus & materijs ſuprà ex Textu S. Regulæ expenſis. In hunc finem particulares cujusque propenſiones, habitus, externæ quoquè circumſtantiæ & occaſiones non obiter ſunt conſiderandæ, & circa ſingula apta & efficacia remedia ſtatuenda. Ejusmodi occaſiones ſolent eſſe v. g. reſpectus humani, & judicia hominum, converſationes liberiores, affectus aliquis prædominans &c. contra hæc & ſimilia fortiter ſe obarmet, quis quis gratiam, quam per impoſitionem manuum accipiet, conſervare & augere deſiderat.

Quar-

Quartò, concipienda est ingens æstimatio Sancti & Regalis Statûs Sacerdotalis, non quidē eô fine, quod absit, vt quis exinde honorem & æstimationem personalem sectetur, putetque se statui huic esse injurium, si honori & amori proprio adversa, à quocunque irrogata, æquo animo sustineat; sed ut hujus, & tam sublimium functionum huic statui annexarum, præsertim quotidiani Sacrificij memoriâ, suam omnimodam indignitatem intimè agnoscat, nec quidquam tanto ministerio indignum vllo vnquam futuro tempore admittere præsumat.

Cæterùm hoc sacro recessûs tempore præter illa, quæ passim ab Authoribus ad exercitia spiritualia cum fructu peragenda præscribuntur, intensissimos & ferventissimos supernaturalium virtutum actus, præsertim vivæ fidei, spei, charitatis, contritionis, humilitatis, S. desiderij &c. eliciat, sicque comparatus ad S. Ordinis susceptionem cum actuali & ferventi devotionis affectu, toto Ordinationis tempore continuando, accedat.

Sacro demùm Ordine initiatus in humillimos grati & amantis animi affectus profusus, totum se Divinæ Bonitati consecret, & omni possibili devotione ad primum Missæ Sacrificium DEO offerendum se disponat, vitamque suâ vocatione Sacerdotali & Monachali dignam juxta normam sacræ Regulæ jam supra declaratam, instituere curet.

Ut

Ut autem hæc omnia exactiùs & ferventiùs in effectum deducantur, adjungo pro coronide insignes planè gratias & favores, quæ Divina Bonitas ijs elargiri consuevit, qui singulari fervore se se ad susceptionem Sacramenti Ordinis disponunt, & è contra maledicta horrenda in eos fulminata, qui exemplô Judæ Sacerdotium indignè suscipiunt, & post illud dissolutè vivunt; eo fine, vt qui desiderio bonorum & gratiarum è bonâ præparatione & vita post Sacerdotium promanare solitarum, non movetur ad præmissorum diligentem observationem, pænarum saltem, & maledictionum certè horrificarum metu concutiatur, ac ad meliora excitetur, præsertim si signa quædam in Juda supra reprehensorum jamjam in se ipso notaret. Et quamvis non existimem in statu Religioso inveniri ejusmodi Judæ asseclas, nihilominus hæc benè perpensa salubrem timorem bonis quoquè incutient, ne se etiam remotis deficiendi periculis exponant, & in benè cæptis DEO auxiliante constanter perseverent, quin imò in dies magis ac magis in Domino perficiant.

Gratias, quas DEUS pro quantitate dispositionis elargiri solet, P. Lancicius S. I. *Opusc.* 13. *Lib.* 1. *Cap.* 1. enumerat, cujus verba, cùm ejus libri non sint cuivis ad manum, referre non pigebit.

Primò. Devotio magna, etiam sensibilis, in re-

in recitandis horis Canonicis, & Sacrificio Missæ offerendo.

Secundò. Magnum & practicum lumen ad discernenda peccata in audiendis aliorum Confessionibus.

Tertiò. Accursus pænitentium, conscientias, vel sacrilegis Confessionibus, vel malè factis, vel alijs peccatis intricatas habentium, ad petendum auxilium in confessione, illudque in eâ iteratâ inventum.

Quartò. Gratia extrahendi pænitentes è misero peccati statu.

Quintò. Notabilis profectus in virtute confitentium talibus Sacerdotibus, vel conversantium cum illis.

Sextò. Agnitio peccatorum multorum anteà non dictorum in confessione, vel ex oblivione aut ignorantiâ, vel ex inconsiderantiâ & negligentiâ. Unde moventur ad Confessiones bonas coram talibus Sacerdotibus faciendas.

Septimò. Quies conscientiæ antea non habita, collata confitentibus coram talibus Sacerdotibus.

Octavò. Solet etiam Divina Benignitas extraordinarias gratias intuitu Sacramenti Ordinis, *Extraordinariâ præparatione, & fervore suscepti*, conferre ijs, qui eo, vt dictum est, Sacerdotium susceperunt. DEUS enim, qui etiam inimicis suis, sine vlla præparatione præmissâ

missâ, confert efficacia auxilia ob suam bonitatem, & Christi Domini merita, convertendo illos, multò magis justis, amicis suis, & filijs adoptivis, extraordinariè se Ejus beneficio supernaturali præparantibus ad suscipienda Sacramenta, confert extraordinarias virtutum gratias (quandòque etiam illas, quæ vocantur gratiæ gratis datæ, primæ Classis, vti est donum prophetiæ & miracula patrandi) idque intuitu extraordinariæ præparationis, & quidem talis, quæ non reperitur in ordinarijs justis, modô, quem videmus, valdè ordinario se præparantibus ad Sacramentorum susceptionem. Hæc doctrina fundatur in experientiâ DEI Servorum, & in SS. Patribus, & in bonâ Theologiâ, ac maximè in DEI amore, qui non permittit se vinci ab hominibus ejus gratiæ cooperantibus, sed eos suâ liberalitate vincit. Ideò, inquit S. Chrysost. hom. 20. ad pop. *petitiones nostras semper multo excessu superat.* Nec mirum. Quia, ut Idem dixit h. 12. in 1. Epist. Cor. *DEVS magis nos amat, quàm nos ipsi nos amemus.* Ideo extraordinariè se præparantibus ad Sacramenta, extraordinaria confert beneficia: & vt ait S. Dionysius Areop. c. 1. diu. nom. §. 2. *radium illum super substantialem sibi perseveranter insitum, cuilibet rei congruis illuminationibus,* id est donis, *clementer attemperat,* extraordinarijs præparationibus dona extraordinaria concedendo. Sic S. Cæsarius

rius h. 3. ad Monachos: *quantum nos addiderimus ad studium, tantum Ille apponet ad adjutorium: quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum Ille addet ad gloriam.*

Primò, nunquam peccant in dicendis horis Canonicis, & Sacrificio Missæ celebrando.

Secundò. Per insperata, nec expetita, sed repetentina lumina in oratione, vel horas dicendo, vel Missam celebrando, vel utrobique, cognoscunt res occultas futuras, & alias ad se, vel ad alios, præsertim eis confitentes, spectantes, necessarias & utiles.

Tertiò. Eodem modo clarè cognoscere solent vel peccata occulta suorum pœnitentium, ab illis nunquam dicta in confessione, vel alias res eorum secretissimas, nulli hominum notas, quæ ab ijs factæ sunt, quarum clarâ & distincta manifestatione per tales Sacerdotes ijs ipsis factà, moventur ad obediendum illis, in rebus animæ, & ad credendum eorum Spiritualibus doctrinis, & ad vivendum meliùs

Quartò. Semper ferventissimè dicunt Missam & horas Canonicas quovis tempore, etiam post somnum immediatè, & post occupationes valdé distractivas, dum tunc coguntur id facere, ob defectum temporis.

Quintò. Per lumina repentina cælitùs infusa agnoscunt multas veritates & doctrinas, humanô studiò & modô non acquisitas, ad se & ad alios perficiendos spectantes, quas, dum

vel

vel tradunt oretenus, vel scribunt, eo prorsùs modo, eas tunc primùm discunt, & scribunt, quo solent Discipuli Philosophiæ vel Theologiæ in Schola scribere res antea ignotas sibi, easque tunc primùm addiscere & excipere in chartam â dictante Magistro. Imò perfectiùs tales Sacerdotes illas doctrinas percipiunt, quia non successivè, & per partes, uti Discipuli discunt, docente ac dictante Magistro, sed in instanti & simul agnoscunt omnia, DEO per lumen insolitum, non humanum docente, ad quæ postea scribenda & alijs declaranda, longo tempore indigent. Hucusque citatus Author.

Maledictiones desumendas censui ex Ps. 108. qui unanimi consensu SS. Patrum & Interpretum etiam ad litteram applicatur proditori Judæ, uti ad litteram eidem applicavit Apostolorum Princeps Act. 1. illa verba: *Episcopatum ejus accipiat alter*, ex hoc Psalmo desumpta. Cùm enim Judas sit verus Typus malorum Sacerdotum novæ legis, non absque fundamento eisdem applicantur maledictiones â Christo patiente, per os Davidis prophetico Spiritu prædictæ. Rupertus Abbas in Matth. c. 26. triginta omnino ejusmodi maledicta in hoc Psalmo contenta enumerat, juxta numerum videlicet argenteorum, quibus impius ille Magistrum suum Judæis vendere non abhorruit. Ego paucas duntaxat seligam, quòd credam, has solas sufficientes esse ad incutiendum salu-

salubrem timorem, & Religiosis quoquè Sacerdotibus malè viventibus, si qui sunt, frequentiùs evenire.

Prima maledictio: *constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus. v. 6.* Nomine peccatoris antonomasticè intelligunt Interpretes dæmonem. Unde Glossa rectè advertit, super eum constitui dæmones, qui Christo noluit esse subditus. Satanam verò à dextris stare, id est, Interprete le Blanc in hunc locum, diabolum velut Dominum & triumphatorem præsidere & imperare pro voluntate captivosq; trahere illos in quos hæc maledictio intorquetur. Expertus est hujus maledictionis effectum impijssimus Judas, qui dum suavi Christi jugo se submittere nouit, tyrannicæ dæmonis servituti se ipsum mancipavit, qui eum de scelere in scelus,& de temporaneâ violentâ sibimet illatâ morte ad æternam pertraxit. Quis non exhorrescat servitutem hanc funestissimam! O Servi DEI Altissimi, Gens Sancta, Regale Sacerdotium! itàne unquam vos fascinari patiemini, ut vel remoto periculo vos exponatis, Divinam & Regalem Servitutem vestram, cum hac funestissimâ, abjectissimaque aliquando commutandi. Ah absit! *Secunda maledictio: cùm judicatur, exeat comdemnatus. v. 7.* cùm Divino Tribunali sistetur judicandus, statim æternæ damnationis sententiam audiet, & trepidus à Sanctorum cœtu excludetur, ita le Blanc. Judas haud mitiorem

tem excepit sententiam, quæ totâ æternitate non relaxabitur. Hæc damnationis sententia tantò terribilior erit Sacerdoti, quantò in vita altiori in dignitatis culmine â DEO collocatus fuit: Character Sacerdotalis, quo tam indignè abusus fuit, horrendum in modum miseram excruciabit animam, sine ullâ spe relaxationis cujusdam obtinendæ. Descende frequenter ô Sacerdos in hunc locum tormentorum per vivacem eorundem considerationem, ibique Judam, & post ipsum alios fortassè non paucos Sacerdotio insignitos intuêre, & si ad ferventem, tantoque gradui correspondentem vitam non te moveat Amor Cælestis Patriæ, terreat saltem pænarum ineffabilis acerbitas.

Tertia maledictio: *& oratio ejus fiat in peccatum.* Judæ facta est oratio in peccatum, quia oravit sine spe veniæ, & desperans laqueo se suspendit, nec non ob alios titulos, qui fusè apud cit. Le Blanc recensentur. Verùm non solùm Judam tangit hæc maledictio, cùm enim tepidi & mali Sacerdotes novæ legis, ut plurimùm suas orationes, etiam obligatorias, quales sunt horæ Canonicæ &c. quin & ipsa Sacrificia perfunctoriè, tepidé, distractè, & ne plura dicam, ex usu & consuetudine peragere soleant, quid aliud inde consequitur, quàm ut hæc ipsa eorum oratio & Sacrificia fiant illis in peccatum, eventu certè nunquam satis extimescendo: quid enim miserabiliùs est

quàm

quàm cùm medicina vertitur in venenum? quis quis igitur Sacerdotum, præsertim Religiosorum, tantum malum exhorrescit, omnibus viribus ejus causam tollere, & præcavere contendat.

Quarta maledictio: *fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter.* Duplicem hæc maledictio exprimit horrendam pœnam. Prima est vitæ abbreviatio, altera, quæ inde consequitur, dignitatis Sacerdotalis (nam Episcopatus in probabili sententiâ adæquatè non differt â Sacerdotio) in alios digniores translatio: non quidem eo sensu, quasi Character semel acceptus, estque indelebilis, auferatur, sed quòd ita malis Sacerdotum moribus obscuretur & dehonestetur, ut DEUM ad justam indignationem moveant, talem Sacerdotem ê vitæ, vel boni nominis, huic dignitati annexi, statione dejiciendi, & in ejus locum alios substituendi, conformiter Christi effato: *auferetur ab ejs Regnum DEI, & dabitur genti, facienti fructus Ejus.* Matth. 21. Completa est hæc maledictio quo ad utramque pœnam in Judâ, qui præmaturâ morte per suspendium extinctus fuit, & Episcopatum ejus accepit S. Matthias, in ejus locum â Collegio Apostolorum & Discipulorum Christi substitutus Act. 1. Habent igitur, quod timeant novæ legis Sacerdotes, ne DEVS irritatus malis eorundem moribus & exemplis, auferat ab ejs modò explicatô Regale Sacer-

dotium

dotium, detque alij facienti fructus Ejus.

Quinta maledictio: *diripiant alieni labores ejus.* v. 11. laboravit Judas, prædicavit, docuit, dæmonia ejecit: laborant non minùs Sacerdotes Religiosi, etsi malæ vitæ, sacrificant, orant, psallunt, Sacramenta administrant &c. sed quo fructu? nullo certè aut exiguo, nam in his omnibus & similibus, non sibi, sed alijs laborant, dum ipsi interim præmio supernaturali vacui persistunt, vt meritò illis applicari possit illud Aggæi 1. *Seminastis multùm, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati; bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Et avertat DEUS, vt non inter hos laborum direptores ipse quoque omnis boni hostis inveniatur, qui pervertendo intentionem & opera talium Sacerdotum efficiat, vt jam non DEO, non suæ, nec proximi saluti, sed dæmoni labores suos consecrent. O maledictionem summè extimescendam!

Sexta, *non sit illi adjutor.* Judas hanc pænam luit, dum ab omnibus ijs, in quorum gratiam nefandum scelus proditionis perpetrare ausus est, derelictus audire debuit: *quid ad nos, tu videris.* Hanc quoque pænam magis minùsve sentiunt Sacerdotes à bono declinantes, dum invalescentibus magis magisque interioribus tenebris, quæ est propria peccatorum etiam venialium, saltem deliberato plané animo admissorum

missorum, pœna, horrent & fugiunt paternam Superiorum solicitudinem, correctiones, admonitiones, consortium meliorum, omittunt aut perfunctoriè persolvunt meditationes, lectiones spirituales, examina, quæ omnia inter præcipua salutis & perfectionis adjumenta numerantur, sicque paulatim propriâ suâ culpâ his adjutoribus destituti, sibi solis relicti nesciunt, vbi corruant, & væ tunc solis, quia non habent sublevantem se!

Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Judas maledictionem dilexisse censendus est, cùm audiens â Christo: *væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26. hoc contemnens, abijt ad Ejus hostes, vt Eum illis ad mortem traderet, quod & præstitit. Ita le Blanc. Noluit veró benedictionem, quam eidem Divinus suus Magister tum in lotione pedum, tum in Cœnâ Eucharisticâ, ipsaque Ordinatione Sacerdotali, & demùm in actuali traditione verbis suavissimis amicum eum appellando, *amice ad quid venisti?* obtulit. Atque hac de causâ elongatâ benedictione, venit ei maledictio, quâ non solùm instar vestimenti exteriùs circumdatus, sed etiam interiùs, tanquam ab aquâ & oleo in intimis visceribus & ossibus affectus, ac tandem instar Zonæ corpus constringentis, ita vinculatus fuit, ut evadere non posset, quæ cum ex no-

vi Te-

vi Testamenti historia cuique satis nota sint, ulteriore deductione non indigent. Atque hoc est tandem finale, quo totam præsentem Tractatiunculam concludo. Posui ante te ô Sacerdos DEI Altissimi ignem & aquam, benedictionem & maledictionem, ad quodcunque volueris, extendes manum tuam, si benedictionem, quæ bonâ & virtuosâ vitâ supra descriptâ, ante & post Sacerdotium seriò custoditâ, obtinetur, elegeris, venient tibi omnia pariter bona cum illa. Quòdsi verò hanc negligendo ipso facto, vitâ nimirum S. Regulæ & Vitæ Christi difformi, te maledictionis amatorem esse comprobaveris, ô te mortalium infelicissimum! elongabitur siquidem â te benedictio, deficient paulatim gratiæ, seu auxilij actualis tum interni tum externi influxus, quam privationem sequetur excæcatio in intellectu, & obduratio in voluntate, de quibus horrendis pœnis invisibilibus fusè & solidè dicurrens videri potest R. P. Albertus Krez in Paradigmatibus pract. Recollect. mihi pag. 114. & *seq.* Neque hîc consistet malum, sed alijs etiam positivis maledictionibus succedentibus, ita undique exteriusque cruciaberis & coarctaberis, vt fortè nec seriam pœnitentiam ampliùs sis acturus, etsi cum Judâ dicas: *peccavi.* Sed hæc abyssus malorum est, meliora, quin & optima spero â Religioso Lectore, qui dum hæc legendo evolverit, memorialis locò sibi reponat

nat illud D. Pauli ad Ephes. 4. *Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione vestrâ* (Sacerdotali & Monasticâ) *quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansvetudine, cum patientiâ supportantes invicem, soliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.* & 1. Pet. 2. *Vos Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus* (Christi Summi Sacerdotis, per vitam Ejus SS. Doctrinis & exemplis conformem) *qui de tenebris vos vocavit in admirabile Lumen suum.*



SPECIALES LEGES

Pro Fratribus, & Novitiis Benedictinis

VLtra antecedenter præcepta ê speciali vigilantia & dilectione sequentia rigidè indicuntur.

1mò. Cùm juxta Spiritum Sanctum per os Sancti Pauli Apostoli loquentem omnes moneamur vt modestia nostra nota sit omnibus hominibus, id est, tanta, vt omnes eam suspiciant, in ea complaceant, per eam ædificentur, Domino DEO Gloria, Fundatoribus honor, Cælitibus gustus, Angelis gaudium, Superioribus solatium, æqualibus exemplum, minoribus stimulus præbeatur, sitque hæc virtus præcipuum medium conservandæ æstimationis alicujus sacri Ordinis, & loci, & validissimum instru-

instrumentum lucrandi pretiosissimo DEI sanguine redemptas animas, id est, proximorum salutem suavissimè simul & efficacissimè operandi, ac tantò magis resplendeat in adolescentibus & juvenibus, quantó plùs refulget gemma in auro, quàm plumbo, sic & ideò seriò, & pæne primariò hujus virtutis studium vobis, dilectissimi flores nostri Monasterij, & sacræ Religionis inculcamus, & volumus, vt oculis vagos, gestibus leves, ore ridentes &c. quamprimùm, semper, & severè puniat venerandus Pater Magister ac Director. Quilibet non incedat, seque gerat aliter, quàm si loco ipsius incarnatus aliquis Angelus adesset, & quomodo se in omnibus gereret, quem quilibet è solo aspectu ipsius Sanctum judicare deberet; Quomodo olim in suo inter homines convictu Divinus & primogenitus noster Frater JESUS, quomodo vivens in terris humillima Virgo, DEI & nostra parens MARIA manus, oculos, humeros, & ora ferebat, ne vel illi dissimiles, vel huic degeneres simus, sed amemur ab illis magis, cùm similitudo Mater sit Amoris. Specialiter nunquam audeat quis ridere, vel aliquam levitatem committere sub oratione, sub lectione, sub ministratione, sub mensa, sub pœnitentia, aut post commissum à se, vel alio errorem, factam, vel faciendam correctionem, aut spontaneam humiliationem. Item alias in refectorio, in templo, in choro,

 in pla-

in platea. Ne itaque in his quis fragilior sæpius delinquat, & malam naturæ proclivitatem malô habitu per actus frequentatos generari solitô in malo roboret, sed potius emendet, Superior N B. succurrat tali nimis sensibilij homuncioni acribûs injunctîs pœnitentijs ejuniorum, disciplinarum, confusionum, increpationibûs vehementibûs & humiliativîs.

2dò. Studeat quilibet etiam tempore recreationis non esse nimis garrulus, non ridiculus, non levis, sed solùm serenus, & hilaris, solùm modicùm se resolvens, non dissolvens. Est enim morum amabilis gravitas certa quædam nota verè Sanctorum, adeò, vt, si qui tales, id est, graves simul, & suaves in juventute visi fuerint, indicium futuræ sanctitatis præbuisse scribantur. Generatur autem amabilis gravitas è mixtura, seu conjunctione veræ humilitatis, & mortificationis, seu Dominii supra suos sensus, & affectus, quâ utrâque excellentiâ solùm emicant solidè Sancti. E contra levitas oritur ex immortificatione, & carentia Dominii præfati, atque ex audacia humilitati contraria, adeo, vt de nullo legatur evasisse in Sanctum, qui erat levitatibus, & jocis deditus, excepto uno histrione, qui in spectaculo jocosè exhibens Sanctum Christianorum Baptisma, subitò à Domino DEO illuminatus, mox jocos suos cum pœnitentia detestans in Martyrem evasit; Ipse Salvator noster, & Sanctissima ejus

ma ejus Mater nunquam risisse, bene verò fle-
visse, & solùm sereni oris, & frontis, ac excel-
lenter amabiles fuisse leguntur. Quia verò de
notis, & signis Sanctorum mentio facta fuit,
incidenter noverint, præter præfatam amabi-
lem morum gravitatem notas, seu signa San-
ctorum esse abstinentiam, humilitatem, obe-
dientiam numeris perfectam, integrum mundi,
& quæ in mundo sunt, fastidium, libertatem,
non inquietudinem Spiritûs generans; dilecti-
onem adversitatum, & adversariorum, tole-
rantiam injuriarum, misericordiam erga pau-
peres, charitatem erga ægrotos, devotionem
erga sacram Christi Passionem.

3tiò. Impensè quilibet se tradat Sancto,
continuo, & intimè consolativo luctui super
amaram Christi Passionem, & compassionem
Marianam, super sua & aliorum peccata, ac
ingratitudines, super pericula salutis, & cæci-
tatem deplorandam sui, ac aliorum, super su-
stinenda pro suis sceleribus tormenta, saltem
purgatorij, super neglectas gratiæ, & gloriæ
promerendæ occasiones, super moram in hac
lacrymarum valle, &c. ô quam beati, qui sic
lugent, quoniam veré consolabuntur!

4tò. Mox post aliquam fragilitatem levi-
tatis, aut alterius culpæ commissam intimo
cordis affectu Dominum DEUM deprecetur,
à Sancto Tutelari veniam petat, immò quoti-
es permissum, etiam coram Magistro, vel alijs

se pro-

se propterea humiliet, & cum magna aviditate satisfactionis pœnitentiam suscipiat.

5tò. Operam det præsentiæ Divinæ exercitio per affectuosum, juge, internum colloquium, & diversos pios affectus, & actus internos, atque externos virtutum ad Dominum DEUM ubique præsentem actu signato, vel exercito directos.

6tò. Ut sciat artem bene loquendi, discat tacere, & taciturnitatis sit studiosissimus, maximè tempore silentij, sub quo invicem corridere, nutibus agere, & loqui omninò, & sub certa pænitentia sit prohibitum, adeò, vt tali tempore Novitiatus locum præteriens neminem, aut solùm Angelos, seu in Domino mortuorum silentes Spiritus inhabitare putet. Nam per silentium, solitudinem, & visitationes Superiorum omnis disciplina permanet invi

7timò. Fraternam dilectionem præcipuè exerceant per Fraternam correctionem, verbis quidem, & signîs, quantùm, & quibûs permissum â Superiore suo fuerit; Exemplô verò, & precibûs pro invicem ad Cœlites, dum vident aliquem delinquere; Item specialiter delatione apud Magistrum, & Directorem, ad quam delationem severè simul, & amantissimè omnes adhortor, sintque præter communem delationem specialiter tres deputati ad omnia Magistro & Directori deferenda, vt detecto sic vulneri medicina applicari tempestiVe vale-

vè valeat, & illud nullam cruditatem contra-
hat, si subtrahatur duræ sed sanativæ chirurgi
manui: velut Sanctus Bernardus optabat habe-
re centum observatores, ut vel sic se facilius à
malo continere valeret.

8vò. Magna diligentiâ incumbant ad ple-
num suarum affectionum, & inclinationum
Dominum; Major est enim expugnatore vr-
bium Dominator sui. Abnegent se totaliter,
totòsque in omnibus etiam minimis: vera enim
fidelitas in cura minimorum est; Et ille fidelis
est famulus, qui nec obolum subtrahit Domi-
no; Qui non modò in magnis obligationibus,
& severis imperijs, sed minimis nutibus, &
occasionibus se promptum exhibet & soli-
citum, observantem, studiosum, & indefes-
sum, ac gustûs Domini sui cupidum. Auge-
ant itaque usque ad immensum cumulum par-
vos gradus gratiæ, & consequenter etiam glo-
riæ, quia hæc in altera vita correspondet, &
juxta numerum, & mensuram gratiæ auctæ
tribuitur. Multiplicent pæne in infinitum omni
momento & jugiter, parvos de se, carne, dia-
bolo, & mundo, seu malis hominibus trium-
phos; generent, & roborent per infinitos actus
invincibilem habitum se in omnibus vincen-
di, seu abnegandi, & sic verè, ac facilè mode-
sti erunt, & dulce spectaculum DEO, Cæliti-
bus, & hominibus. Magister itaque advertens
cujuslibet non modò malas, sed etiam indif-
feren-

ferentes, atque insuper bonas inclinationes, eas omni occasione mortificet, amputet, denegando desiderata, præcipiendo ingrata, prohibendo grata, aliisque modis omnibus.

9nò. Plene se dedant profundissimæ internæ, & externæ humilitati; Omnis enim levitas, & immodestia ex aliqua audacia, & omnis audacia ex aliqua occulta superbia proficiscitur; humilis est meticulosus, reverentialis, se continens, consequenter modestus. Experiatur Magister, & exerceat quemlibet infinitis vicibûs, & modîs in hac virtute; supprimat minimos etiam Spiritus tumoris, & tam nocentes, quàm innocentes, increpationibûs, inculpationibûs, confusionibûs, pœnîs, ac pœnitentijs afficiat, ut jugiter, & fortiter exerceantur in hac virtute humilitatis, parente modestiæ.

10mò. Sororem humilitatis, & castitatis nutricem, & tutricem verecundiam publicè, & privatim non secûs colant, quàm positi in conspectu suorum Superiorum, aut magni Principis, positi in oculis terribilissimi futuri Iudicis Domini DEI, infensissimi subsannatoris, & accusatoris diaboli, purissimi Custodis Angeli, & si verecundi, etiam modesti erunt, ac ubique compositi.

11mò. Nec Professis, nec Novitijs licet conversari, & loqui cum Patribus, nisi per solam humilem, & brevissimam responsionem, si quid subitò in choro, vel Ecclesia, aut refe-

ctorio

ctorio, tempore officij, vel mensæ petitum fuerit. Et neque Novitij alio tempore, & aliter quàm in communi recreatione cum Fratribus converſentur; Ipſi etiam Profeſſi Fratres non currant invicem ad cellas tempore ſtudiorum interrogando, & petendo, ſed vel expectent tempus recreationis, repetitionis, vel expreſſam aliquid interrogandi, aut petendi licentiam à Directore exorent, Si quis Fratrum etiam Profeſſorum cum alio Patre, quàm Repetitore converſari, & ſive garrulè, ſive, familiater, ſive quaſi confidenter loqui præſumpſerit, prandiô, vel cæna careat, ad menſam non admittendus, ſed in cella jejunè manſurus: et hoc etiam ſæpius, ſi ſæpius, attentaverit, vt juxta ſacram Regulam talis juvenis jejunijs nimijs affligatur.

12mò, E Choro ſimul redeant ad Novitiatum, propterea nec unus debet orationem nimis prolongare, nec nimis brevem facere, vno tamen è neceſſitate abeunte etiam reliqui abeant poſt Chorum.

13tiò. Poſt ſeu potiùs præter Modeſtiam, æqualî, aut veriùs majorî curâ inculco obedientiam omnibus numeris abſolutam voluntatis, & intellectûs, abſque interno, & externo murmure, reſponſione nolentis, improbatione, vel diſcuſſione mandati, tarditate, tepidate, & timiditate, cum omni promptitudine, ſollicitudine, accuratione &c. det Pater Magiſter

gister, & Director continuam hujus exercendæ occasionem, & quem hujus virtutis incurium experitur Novitium, à Religione expellat, Professum semper, & severè puniat.

14tò. Angelicæ Psalmodiæ summa habeatur ratio, & cura, prout Pater Magister ampliùs in particulari quoad modos explicabit; Somnolentos, & serò venientes jejuniis, & pœnitentiis excitet, & diligentes faciat.

15tò. Magistrum ament, ac revereantur; ipse enim pervigilat pro animabus vestris rationem rigidam DEO redditurus: ipse vice DEI & sui vice DEVS est, quem, si quis tangat, si quis contristetur, tangit pupillam oculi Divini valde sensibiliter; Ipse est, qui solus post me vestrî curam habet diu, noctûque, qui solus vos à peccatis in confessione absolvere potest, cui uni vos commisi, & quasi moderatori ingenuos filios contradidi.

16tò. Pro repetita renovatione & conservatione Spiritûs præter consveta annua octiduana Exercitia, omnî mense unâ integrâ die solitarij se recolligant eodem modo, quo in octiduanis Exercitijs, trinam horariam Meditationem, & unam horariam considerationem, præter Examen particulare, & Lectiones Spirituales habendo.

17mò. Omnibus saltem quatuordecim diebus, extra confessionem totum suum internum statum quoad malum, & bonum, quoad profe-

ctum

ctum, & defectum suo Patri Spirituali, id est, Magistro seu Directori, & quotiescunque desideratum fuerit, ipsimet Abbati integerrimè & candidissimè pandant, certi, quòd ibi dicta in arctissimo secreto naturali, & perpetuo altissimo silentio servanda sint, nec Superior aliter ita sibi revelatis sit usurus, quàm pro suaviori & meliori directione tam filialiter revelantis. Utantur autem è modis revelandi quem illis è duobus subjunctis præscripserit Superior.

MODUS

Manifestandi conscientiam extra confessionem, & petendi instructionem Spiritualem flexis genibus.

Quo ad defectum.

1mum Punctum. De pravis inclinationibus.
2dum. De lapsibus frequentioribus.
3tium. De tentationibus.

Quo ad profectum.

1mum. De bonis inclinationibus, desiderijs, inspirationibus, & impulsibus internis.
2dum. De amore quarundam virtutum in particulari, & cur?
3tium. Ubi putet se profecisse.

Quo ad successum.

1mum. Quomodo Confessio, & Communio. Psalmodia, & oratio vocalis?

2dum. Quomodo sacra lectio, & Meditatio, & unde?

3tium. Quomodo exercitium mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, præsentiæ Divinæ, obedientiæ.

Alius Modus.

1mò. An sit contentus, magnique æstimet vocationem suam?

2dò. De tribus votis, & quovis in particulari, narrando tentationes, imperfectiones, difficultates, pericula, occasiones, objecta magis moventia, propensiones naturales, perfectiones, victorias, &c.

3tiò. De alijs tentationibus, inclinationibus, difficultatibus.

4tò. De Examine particulari, exhibendo etiam libellum Examinis.

5tò. De tendentia ad perfectionem.

6tò. De observatione Sacræ Regulæ, præcipuè quoad silentium, Psalmodiam, humilitatem, zelum bonum &c.

7timò. De oratione, Meditatione, lectione spirituali, Confessione, Communione.

8vò. De mortificatione interna, & externâ, bono temporis usu, ac propositorum suorum exequutione.

9nò. De charitate fraterna, an non habeat

ab aliquo aversionem, eòque vel æquali, vel Superiore?

10mò. De Recreatione, & conversatione cum hominibus.

11mò. De sanitate corporali, aliìsque corpori necessarijs.

18vò. Annuatim in festo Præsentationis Beatissimæ Virginis MARIÆ, id est, patrocinio capellæ Novitiatûs, à singulis Fratribus Novitiis, & Professis renovetur sequens sui

OBLATIO.

SAnctissime Domine DEUS, & Pater noster cælestis, omnî, quâ possum, reverentiâ, devotione, promptitudine, humilitate, simul, & desiderio, coram suprema tua Majestate non modò in genua, sed faciem meam procido, méque indignissimam creaturam tuam tibi Creatori meo subjectissimè sisto, ut infinitas secundùm desiderium meum gratias agam tum pro omnibus gratijs tam ipsi Beatissimæ Virgini DEIparæ, quàm per eam mihi & aliis à tua immensa benignitate collatis; Tum specialiter pro illis gratijs, & perfectionibus, quas à te accepit, & cum plurimo ad nostram salutem merito heroicè exercuit eadem Sanctissima Unigeniti tui, & nostra Mater MARIA, quando adhuc trimula non tam à parentibus, quàm semetipsâ in templo fuit præsentata; Et in unione illius præsentationis, ac præsentatæ

purissimæ etiam me tibi jam ex natura, ac obligatione tuum, totâ insuper devotione præsento, dedico, immolo, consecro: Tuus æternùm sim totus quantus, nec unquam ampliùs meus: Tua sit anima mea, cum omnibus facultatibus; Tuum sit corpus cum omnibus internis, & externis partibus: Tua sit, ô infinitum bonum, mea voluntas, nec unquam ampliùs velit aliquid, quàm quod tu vis, tu præcipis, tu suades, tu permittis, tu immittis, tuæ leges, tui Vicarii, Superiores nostri volunt, sive id mihi gratum, aut ingratum, facile, aut difficile, commodum, aut incommodum, honorificum, aut depressivum, oblectans, aut affligens sit; Et hoc totum, quoad omnes modos, & circumstantias, in quo, ac quantocunque tempore, & æternitate: Tuus sit meus Amor, nec unquam aliquid amem, nisi te & in te propter te, & eo modò, quo tibi placet, nec odiam aliquid, nisi quod, & quomodo tu odisti, & odio haberi desideras, sive ego propterea odio habear, aut amer, sive non: Tuus sit intellectus meus, nec cupiat aliquid scire, quàm tuam bonitatem, & meam vilitatem, & quod, ac quomodo, atque quantùm mihi prodest, ut te ampliùs & agnoscam, & agnitum colam, atque ab aliis agnosci, & coli modo tibi placito faciam, procul omni proprio gustu, libertate, quæsitione, ostentatione, vana gloria, & curiositate, & inobedientia: Tua sit memoria mea

tuique

tuique nunquam obliviſcatur, ſed in omnibus tuæ præſentiæ, bonitatis, & Amoris memor ſit, velut conclave tibi ſoli dicatum, mundum ab omnibus profanis imaginibus, & imperfectis cogitatibus, atque ornatum Sanctîs conſiderationibûs vel virtutibûs Filij tui Redemptoris noſtri, & denique continuò calidum per inceſſantes amoris affectus, & ſancta deſideria, nihil tibi contrarium admittens: Tua ſit lingua mea, nec unquam poſthac audeat loqui, quàm quæ, quando, quantùm, & quomodo tibi placet: tui ſint oculi mei, & quia oculi Filii tui Salvatoris noſtri erant ſanguinolenti, & lacrymis, ac dolore pleni, ideò oculi mei etiam ab omni delectabili, ne dicam, periculoſo aut peccaminoſo viſu perpetuò abſtinebunt: Tuæ ſint aures meæ, nec unquam ampliùs audire velint aliquid vanum, ridiculum, aut malum contra te, aut proximum, aut quod non ducat ad amorem tui: Tuum ſit os, & guſtus meus, nec ampliùs ſe oblectet, quàm quantùm, & quomodo me ad te magis perducit: Tuus ſit tactus meus, & propter te, propter amorem tui, propter honorem tuum in vindictam malè commiſſorum, & omiſſorum ſine ulla requie patiatur jîs modîs, qui per Vicarios tuos Superiores noſtros approbantur: Tuus ſit olfactus meus, nec unquam quærat delicias, vel admittat immunditias: Tuæ ſint manus meæ propter te perpetuò, & omni tempore ſic

locen

locandæ, & occupandæ, ut major tibi gloria resultet: Tui sint pedes mei, sic decenter, omni in loco situandi, & usque ad fatigationem movendi, ut indesinenter glorificeris: Tua sint omnia, quæ sum, quæ habeo, quæ possum, quæ mihi accidunt, quæ ad me pertinent, aut ad usum concessa sunt, omnes res, & eventus, nomen, honor, sanitas, felicitas, merita, tu cum his omnibus dispone, sicut vis: Tuum sit omne desiderium meum, nec aliquid desiderem quàm te, propter te, & secundum te: Tuum sit tempus mihi concessum, nec eo aliter utar, quàm ad te amandum, & honorandum: Tua sit vita mea, tua & mors mea, ita & tam diu vivam, ac taliter, & tum moriar, prout in omnibus tibi placet Amen. Fiat. Et Tu purissima hodierna hostia amantissima DEI, & nostra Mater Maria per merita tua mihi impetra, ut hæc mei, & meorum oblatio nunquam à me, vel in toto, vel in parte revocetur. Amen.

Regulæ Morum
Pro Fratribus Sancti Petri Salisburgi.

§. 1mus.

De corporali membrorum dispositione Religiosa.

MAnus caveant ab omni contactu indecenti, & injurioso proximi, easque coram alijs gerant sub scapulari.

Caput huc illùcque leviter non moveant, sed cum gravitate, ubi opus erit, teneant erectum, ad neutrum latus deflectendo.

Oculis

Oculis non sint vagabundi, leves, vel curiosi nec videre appetant, quod conspicere non licet.
Cervicem collo erectam aut supinam non gerant, sed moderatè inclinatam, non tamen pendulam.
In vultu iram, impatientiam, morositatem, aut aliam passionem non ostendant.
Nares ad fætores, si subinde occurrant, non sint nimis delicatæ, nec notabiliter obturentur, sed pro illicitis odoribus fortè in sæculo usitatis, istos in pænitentiam ferant.
Nasum non purgent digitis, præsertim alijs contuentibus.
Ungues ne sordibus oppletos, nec prælongos habeant, nec tamen dentibus sunt demordendi, aut palam subsecandi.
Inclinationes debito modo exhibere studeant.

§. 2dus.

In incessu, & statione.

INcessus non sit nimis festinus, nec nimis tardus, sed incedant cum maturitate, nec facilè se moveant sine causa præmeditata.
Nunquàm cursim ambulent, nisi cùm vel periculum, vel justa causa exigit.
Inter ambulandum non indecorè pulsetur pedibus terra more rusticorum.
Non indecenter humeros in utramque partem agitent, nec digitis, aut manibus strepitent.
Defixis in terram oculis præsertim extra Novitiatum semper incedant.

Non ſaltitent aſcendendo, & deſcendendo domi gradus.

Non affectetur magnificentia colli erectione, brachij alterius extenſione, vel agitatione.

Cùm ſteterint, non ſint, ut arundo, mobiles, ſed gradu ſuo fixi permaneant.

§. 3tius.

In congreſſu, & colloquio.

IN colloquio non nimis propè ad perſonam, præſertim ſi illa gravis ſit, nec etiam nimis procul diſtent, ſed congruenti ſpatiô.

Ne ſermonem interrumpant alterius loquentis, ſed patienter expectent, donec ſermo finiatur.

Non hiantibus, aut patentibus buccis alloquentem auſcultent.

Caput non nimiùm incurvent, nec huc, atque illuc contorqueant.

Non unum oculum claudant, alteròque loquentem aſpiciant, quod eſt affectatæ elationis.

Non ſpuant in conſpectum aſtantium, ſed modeſtè ſe retrò convertant, & quos alloquuntur, videant, ne ſaliva compluant.

Si cogantur tuſſire, ne cuiquam in os tuſſiant.

Ne oſcitent cum ejulatu, & ſtridore.

Naſum indecorè non mungāt ſine ſtrophiolo.

Non oculos in faciem, oculòſque alterius moroſè conjiciant, præſertim ſi vir gravis ſit, aut fœmina; ſi verò ratio, aut neceſſitas id poſtulet, id verecundè, & breviſſimè faciant.

Ubi

Ubi res risum movent, caveant, ne in cachinnum erumpant: Nam stultus in risu exaltat vocem suam. §. 4tus.

Circa vestes.

VEstes Religiosè, non lascivè, aut curiosè corpori suo aptare studeant.

Sedendo non nimiùm vestes elevent, sed se ipsos honestè cooperiant.

Capucium nunquam super frontem obducant, quin tota facies honestè appareat.

Viliores vestes, & detritas libenter amplectantur. §. 5tus.

In Templo.

IN Templo cum singulari reverentia se habeant; Oculorum dem issio, & manuũ cõpositio pietatem interiorem, & Religionem testentur.

Caveant, ne apud Altare ministrantes curiosè circumspiciant.

Non solùm in Templo, sed neque in Sacristia confabulentur, aut aliàs ridendo nugentur. Si ad hoc ab alio invitentur, sileant, & maneant modesti; nihilominus Magnum vocis, & silentij temperamentum est, ait Trithemius noster, garrulo non respondere.

Cùm orant vocaliter, præcipué non ostendant extraordinaria signa devotionis, non edant gemitus, nec altiori voce orent aut sibilent, ne alios turbent.

Intrantes Chorum versus Venerabile Sacramentum unum genu flectant usque ad terram;

ram; pergentes ad ſedilia reverentiam, ſeu inclinationem faciant ſtatuæ Beatiſſimæ Matris noſtræ Mariæ.

Dato ſigno ſimul cum alijs incipiant, ſimul deſinant canere aut pſallere, ſimul inclinent, denique conformitas ſit in omnibus.

Inter canendum non indecorum vultum forment, labia nimiùm dilatando, incurvando, aut frontem contrahendo.

Oculorum demiſſio, manuum compoſitio ſit gravis, & quieta.

Breviarium ordinariò ſaltem ad lectiones in manibus geſtent.

Inclinationes ad Gloria Patri &c. Primam orationem, & ultimos verſus hymnorum, Item ad Pater noſter &c, eâ profunditatis menſurâ fiant, vt extremitate digitorum attingere genua queant, immò ex præſcripto Reverendiſſimi Domini Domini actu attingant. Miniſtrantes eundo, & redeundo ab Altari erectis manibus incedant cum Religioſa gravitate.

Apud Altare non facilè utantur in hyeme manicâ, & prorſus non chirotecis.

§. 6tus.

In Refectorio.

AD Refectorium ſimul eant, ſicut ad Chorum, intrantes ante Crucifixum ſe inclinent, & in locis ſibi aſſignatis modeſti ſtent, demiſſis oculis, & manibus ſub ſcapulari poſitis, & benedictionem cum alijs dicant.

Sedentes ad Menſam ne quidquam attingant, niſi priùs ſignô à Superiore datô.

Accipi-

Accipiendo cibum non seligant meliorem, aut majorem portionem, sed sibi proximam, tanquam à DEO sibi missam arripiant.

Dexterâ manu cibum ori ministrent, non sinistrâ & utrâque manu bibant.

Ne accumbant indecorè, nec utroque vel altero cubito, vel magna parte brachii super mensam posita.

Cibum non avidè vorent, aut os cibo nimio impleant.

Cochleari non rodant cum strepitu scutellam, nec jusculum sordidè effundant.

Ossa invenustè ne ingerant in os, aut exsuccent cum strepitu, nec altera, vel utraque manu ea tenendo canum more arrodant.

Caveant, ne indecorè comedendo, vel excreando vel aliquid vitiosè rejectando aliis nauseam aut fastidium pariant.

Si quem cibum non assueverunt, assuescant.

Mappam non deturpent, nec habitum commaculent.

Dentes ne digito purgent, neque cultro, aut furcilla, minus ungue, sed dentiscalpio.

Ministrando mensæ discos, & alia vasa absque strepitu & fragore colligant, & collocent, referànt, que moderatè, & absque eorum collisione.

Asportando cibos, & alia subministrando per Refectorium non currant, nec pedibus rusticano more pulsent terram.

Cibos ne persla, sed si calidiores erunt, expecta, dum defrigescant, aut certè modestè furcinulâ, vel cochlearî, ut temperentur, commove.

Cibos ad mensam ne olfacito, & si quos fortè olfeceris, dehinc cæteris ne apponito.

In ingerendis ori cibis bene educati furcinulæ operâ uti solent, non solorum ministerio digitorum, utpote, quod morum barbariem redolet, assidentium convivarum oculos persæpe offendentem.

Patinam

Patinam pane, aut cochleari scutellam ne detergas, aut convertas, cave.

Cùm comedis, aut bibis, dentibus ne concrepa, strepitum ne ede, sorbendo absurdè, mandendo clariùs, aut alio quovis modo.

Ne sorbe cum strepitu, & sibilo ex scutella, vel ex ipso cochleari.

Jusculum ex scutella non degutta in cochlear, ut extremam guttulam haurias.

Ne panem integrum aut medium butyro linias, sed per particulas.

Digitos adipe, dapùmve succo, & liquamine perfusos in os indecorè quasi linctúrus ne iniice, neque etiam pani integro, aut magnæ ejus parti affrica, multòque minus mantili, mappæve communi, sed ad panis frustulum, quod mox sumpturus sis, priús detersos mantili permunda. At vt hoc rariús eveniat, cochleari, ac furcinulâ ritè utaris; Diligentiús præsertim à lambendis digitis abstine, & maximé sonoro cum stlopis eorum linctu.

Nec cochlear, nec culterum lambe, sed pane in orbe existente illa deterge, si non deceat ob adhærens jus, & condimentum mantili mundare.

Si panem, carnesve in embamma intingis, quod præmorderis, ne iterum intinge, indecorum enim id est; Sed moderatum frustrum sit, quod in singulos intinctus condimento imbuis, quòdque unâ bucceâ totum confici queat.

Mandendo cave, ne labiorum diductu sonitum edas, more porcorum.

Illato in mensam ferculo, nec illicó more pecudum irrue, sed moderare appetitum tuum, & operire paulisper, dum incipiant ij, qui te in mensa priores sunt.

In comedendo ne esto immoderaté festinus, & quasi studio ita properans, quò plures alijs bolos præripias, sed continenter, sensim, & moderaté cibum, potùmque

túmque fumito, omni aviditate brutali penitùs exclusa.

In orbibus, qui cibis onusti circumferuntur vel scutellis promovendis, ne esto nimis lentus. & cunctabundus, ne in juniores parùm charitativus audias, dum eos diutiús quám par est, ab esu suspendis, sed perlato ad te ferculo particulam tuam confestim accipe, ac reliquum ulteriùs promoveto.

Buccella succedat buccellæ in stomachum jam trajectæ.

Tales buccæ sunto, quæ malas immodicé non inflent.

Si loquendum est, vacuo ore, non pleno loquere.

Pro Regula generali teneto, quód in scutellam, aut orbem ambulatorium ampliús reponi haud debeat, quód in suo quis semel habeat disco

Manus in omnes patinæ plagas mittere, aut patinam, ut ad te veniāt lautiora, invertere minimé decet, & id est intemperātium, ac ventri, non honestati servientiū.

Ovum si ita fluidum sit, ut panis frustulis commodè edi nequeat, in cochlear effusum sumes, neutiquam autem potabis; Nam limacum cochlear, & ovum ori admovere, & epotare á mensali decore alienum est, incultòsque mores sapit.

Ne ede de ovo, á quo horrorem, & nauseam præsentis, sed dissimulanter, & dextrè ita in orbem repone, ne á tetro odore, aut fædo aspectu suó cuiquam orexim pariat.

Inter esum ovi bibere, decoro oppido contrarium est.

Ovorum putamina non ungvibus, aut pollice, aut insertâ lingvâ purgabis sed cultellô aut cochlearî.

Salem á salino capturus, culter ne butyro, aut adipe unctus sit; Sed priús ad mantile, aut panis frustulum, non ad totum panem apté deterge. §. 7timus.

In tota domo, vel Monasterio.

CLaudendo, vel aperiendo januas non faciant strepitum.

Inter recreandum non nimiúm clament, sint sine cachin-

cachinno, gesticulatione, contentione, asperitate, sæculari vanitate, caveant manuum injectiones, raptationes, dissolutiones, impulsiones, fistulationes, sint solatia honesta, modesta, quæ juxta Divum Bernardum potiùs recreent, quàm enervent; saltatiunculas indecoras, cursumque notabilem devitent, non conspuant parietes, non appellent se invicem puro nomine (id est, non præmisso nomine Fratris) minùs agnomine, caveántque tuicationes, quæ sæcularem sapiunt familiaritatem Religiosos parúm decentem.

§. Ultimus.

De potissimis Vitiis linguæ.

ALterius sermonem interrumpere.

Alijs præterquam disputando contradicere.

Alios reprehendere, mordere, deridere.

Alté loqui, & cachinnari. Semper loqui.

Ridiculé, scurriliter, inimicé loqui.

Imperiosé, & superbé aliis loqui, & cum illis conversari. Se jactare, & alios deprimere.


Verba, & modos loquendi, sæculares usuperare, politicé, & parum simpliciter cum alijs conversari.

Alijs detrahere sive directé, & explicité, sive indirecté, latenter, & implicité.

Ab his linguæ vitiis quovis tempore, & loco sibi seriò, & sedulò cavere studeant.

Tandem hoc formulare morum in quavis septimana die á Magistro, vel Directore præscribenda attente relegant, seque examinent, contra quæ puncta peccaverint, seque impósterium emendare studeant, neque difficile erit, juxta hoc mores suos componere, si spiritualis profect⁹, & Religiosa modestia ipsis cordi sit.

F I N I S.



REGIESTR



INDEX

Opusculi Primi Animadversionum In Regulam Sancti BENEDICTI.

Opuſculi Primi.

Opusculi Primi.

 Su-

APPENDIX.

INDEX.

Opuſculi Secundi.

APPENDIX.

§. 1.

§. 2.

FINIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029957



